
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
26 L
20
ROMA

RITVALE AVGVSTINIANVM
CONGR. OBS. LOMBARDIÆ
Ordinis FF. Erem. S. Augustini,

Ex Constitutionibus, Definitionibus, Ceremoniali, perpetuoq; vsu eiusdem Congregationis

A P. DONATO CALVO BERGOM. PRIORE, S. T. L. ac Congreg. Socio Collectum,

Et iussu Reuerendiss. P.

FVLGENTII ALCHISII CASAL. VICARII GENERALIS

Ad communem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Patrum dictæ Congreg. vtilitatem Typis commissum.

Cum Indice Rituum in fine.





BERGOMI, Apud Filios Marci Antonij Rubei. clɔ lɔ c lxj.
De consensu Superiorum.

F. FVLGENTIVS ALCHISIVS CASALENSIS
Congregationis Obseruantium Lombardiæ Ordinis Eremitarum S Augustini

VICARIVS GENERALIS.

Dilecto nobis in Christo P. Donato Caluo Bergomen. S. T. Lectori, Prædicatori, Priori, necnon Socio nostro Benemerito.



Fficij nostri Pastoralis expostulat ratio, vt qui nostræ Reipublicæ Ecclesijs, viribus licet imparibus, præsumus, ea, quæ ad Magni Dei cultum pertinent, Religionis zelo, nedum in vsum firmum, ac incorruptum seruari curemus, sed ad pristinum morem, & institutum, si in abusum irrepserunt, redigere satagamus. Enimuerò nil tàm diuini Numinis gloriam, ac debitum Ecclesiasticarum personarum officium complectitur, quàm veneranda Sacrorum Rituum obseruatio: Nec magis aliud pios offendit, ministeriaque Cleri dedecorat, quàm ceremoniarum, & damnabilis Ecclesiasticorum ignoratio. Quamobrem cùm ea plura, quæ in Deo gratias, per diuina ministeria, & sacri Altaris cultum, necnon vniuersalis Congregationis directionem persoluenda sunt, formulam piè olim nostræ Congregationis Primorum Parentum alij instituerunt, alijq; reformarunt, temporis diuturnitate ab eorum antiqua institutione deflexisse comperijssemus; itaut quot Ecclesiæ nostræ sunt, tot sibi conficerent ceremonias, & quippe sine veris regulis, perindeque in singulis locis perturbatio oriretur hunc dissimilimum modum, varietatemq; hanc inseruiendi Deo formæ grauissimè ferentes, nè in posterùm nouas ceremonias agendi licentia permitteretur prouidere operæpretium duximus. Verùm cum ob varias curas, quibus nimirum valdè oneramur id Nobis fuerit perdifficile, de tuo zelo, studio, ac deuotione, quinimmo in Ecclesiarum recto seruitio pia inclinatione satis, superque experti, sicut nostri officij Socium benemeritum, & cognouimus, & cum gaudio habuimus; ita in huiusmodi prouisionis partem te desumere volentes, vt ex Patrum Constitutionibus, necnon Definitionibus Rituum omnium, ac Ceremoniarum in ijsdem expositam Regulam, in libellum vnum diligenter colligeres libenter Tibi mandauimus, quod sanè opus, cum nunc egregiè absolutum dignoscamus,

mus, omnibus, & singulis Conuentis rem gratam facturi, Harum pariter virtute Typis committere præcipiendo præcipimus; Et quidem, vt vni scilicet Deo, vna, & eadem cultus, ac ceremoniarum formula in tota nostra Republica maiori decore seruetur. Age igitur, & hilari animo perage: Ita nobis seruatis tamen de iure seruandis placet, & Deus, cuius honorem veneraris abundanter retribuat. Vale.

Dat. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ de Populo die prima Ianuarij 1661.

Fr. Fulgentius Alchisius, qui supra manu propria.

F. Franciscus M. Luranus à Cremona Secret.

Re-

Reuerendis, ac Honorandis in Christo

PATRIBVS, ET FRATRIBVS ORDINIS EREM. S. AVGVSTINI Congreg. Lombardiæ.

F. DONATVS CALVVS BERGOM. eiusdem instituti Professus, S.T.L. Prior, & Socius. Sal. & Felic.



ITVALE Augustinianum Congreg. nostræ iam diù à me excogitatum, ac tandem iussu Reuerendiss. Patris Fulgentij Alchisij Generalis eiusdem Congreg. Vicarij, (cui in socij ministerio fęliciter deseruire obtinui) ab inuolucris Constitutionum, Definitionum, Ceremonialium, Consuetudinumq; extractum, & Typis consignatum; Nunc primum Vobis PP. RR. ac FF. dilectissimi spectandum, ac obseruandum proponitur; vt qui sub ijsdem obseruantiæ habitu, instituto, legibus, & Regula, *eodem Dei spiritu agimini, & in vno spiritu statis*; *(Rom. 8. Phil. 1.)* eundem quoque (vt par est) diuini cultus, sacrarum ceremoniarum, religiosarumq; actionum teneatis Ritum, & Ordinem habeatis. Et quidem nullum alium in hoc Rituali ordinem seruauimus, nisi vt Ordinem doceamus; esto enim diuersis, & interdum inordinatis vijs, ad intentum finem peruenire non repugnet; vniformis tamen, ac ordinatus gressus tutiùs, ac faciliùs iter parat, & ordinatè procedendo, ad eum qui in cordibus nostris *suam ordinauit charitatem*; *(Cantic. 2.) deditq; Ordinem Lunæ, & Stellarum in lumine noctis*; *(Ierem. 31.)* securiori, ac breuiori meatu pertingemus. Ecclesia

ipsa vniuersalis *veluti castrorum acies ordinata*, (*Can. 6.*) Ordinem in cunctis seruare Nos admonet; & dum illam *vnicam* veneramur, *vnum Deum*, *Vnam Fidem*, *& vnum Baptisma* (*Ephes.* 4.) colentem, Vnitatem in Ordine præsignat, præsignatam proponit, propositamq; seruare suadet, nedum, ore Pauli, hortãdo: *Vt vnanimes vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi*; (*Rom.* 15.) Sed Ordinum vlterius, & Rituum obseruantiam præcipiendo, vt nempe: *Omnia honestè, & secundùm Ordinem fiant in Nobis*. (1. *Cor.* 14. Hunc igitur Ordinem, quo Diuina, & Humana, ad Ecclesiam spectantia, & Monasterium, Chorum, & Claustrum, Altare, & Capitulum, animæ Mensam, & corporum, ad Fratres ipsos tum vniuersaliter, tum particulariter, in sacra nostra Republica pertractentur, hoc in opusculo collegimus; Vt quisquis in eo (*Aug. in Reg.*) *tanquam in speculo* seruanda dignoscat, & seruando glorificetur Deus, *qui operatus est in Nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. (*Phil.* 2.)

Consultò autem in hoc Rituali ea omittere statuimus, quæ in Romano, vel Missali passim occurrunt, puta *de Processionibus: de de administratione Sacramentorum: de Exequijs: de Benedictionibus, & alijs*. Tum quia vnicus intentionis nostræ scopus fuit, Ritus illos, ac ceremonias, seu Formulas, & Regulas tradere, quæ in Congregatione nostra peculiari coluntur, vel colendæ sunt obseruatione, cum Romani Ritualis Ordines vniuersam complectantur Ecclesiam, & ad omnes se extendant Christifideles: Tum etiam ne absque necessitate entia multiplicare videremur, cum Ritus communes in vnum collecti volumen Romano exarentur Ordinario, quod præ omnium manibus pro libito currit, & sub oculis versatur; Nostri autem hinc inde per Constitutionum, Definitionum, & Ceremonialium folia volitarent dispersi, atque propterea opus fuerit ipsos colligere, & collectos, in vnumque redactos peculiarem Librum, Congregationi donare.

In Ritibus diuinum concernentibus cultum prolixitatem non abhorruimus; quamuis moderatam, & non ad nauseam; à Spiritu Sancto edocti, Religiosos ad hoc censeri electos, vt *Deo seruiant in cultu tabernaculi*; (*Num.* 16.) & vt inquit Dominus Aaron, & Filijs eius: (*Num.* 18.) *Vt Sacerdotium custodiant, & omnia, quæ ad cultũ*

Alta-

Altaris pertinent, atque insuper: *Custodiant cerèmonias Sanctuarij Dei*. (*Ezech*.44.) Licet enim vniuersa ferè, quæ in huiusmodi Ritibus exarata conspiciuntur, non Societatis nostræ peculiaria, sed Ecclesiasticis omnibus personis communia videri possint; vtpotè non ex solis Augustinianis codicibus, sed ex Romanis Ceremonialibus, Rubricis, Gauanto, Corsetto, Arnaud, alijsq; dignis Auctoribus extracta; non propterea inutilia, aut superflua, imò summoperè necessaria autumare debemus; cum in Dei cultu, & honore summa Ecclesiasticarum consistat rerum, singuliq; siue nostræ, siue alterius Congregationis, & Ordinis Romanum sequentes Ritum religiosi viri, maximo curare teneantur studio, quemadmodum & Fidei, Vnitatem seruare cultus, & Vnanimes: *Dare Domino gloriam nomini eius, leuare sacrificium, venire in conspectu eius, & adorare Dominum in decore sancto*. (1. *Paralip*. 16.)

Faxit Omnipotens, vt quæ pro Reipub. nostræ tum sacra, tum humana directione exponimus, in Vestrum omnium vtilitatem, & salutem vergantur; Deum ex corde laudantes: (*Num*. 16.) *Quod separauerit Vos ab omni populo, & iunxerit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei*; Sacrosq; seruantes Vobis traditos Ritus, & laudabiles ceremonias, à Domino *cui seruitis retributionem hæreditatis accipiatis*; (*Colos*.3.) & pœnam ab eodem contra *ignorantes Ritum Dei terræ* (4.*Reg*.17.) immissam, feliciter euitetis.

RITVS I.

Circa diuini Officij ceremonias in choro seruandus.

1 Ongregati in choro Fratres, & dato à Superiore signo, inceptaque Hora, versus altare faciem dirigant signando se signo Crucis à fronte ad pectus cum dicitur *Deus in adiutorium*; & pollice dextro labia, dum dicitur: *Domine labia mea aperies. (Cerem. Ordinis)* Ad verba autem illa: *Gloria Patri* &c. versis vultibus è regione se inclinabunt vsque ad: *Sicut erat* &c. *(Praxis Sacrorum Rit & Cerem.* Et hic ordo tam in officio diei, quam Beatæ Mariæ Virginis semper seruandus erit. Communiter autem versa facie ad altare stabunt Fratres in recitatione Inuitatorij: *Venite exultemus* &c. Antiphonarum, responsoriorum cum versiculis, item capitulorum, & absolutionum in matutinis orationum, in quibus non est inclinandum; in illis namq; in quibus fit inclinatio, vertent ad altare vultum ad illa tantum verba: *Qui tecum viuit*; seu *Qui viuis, & regnas* &c. vsq; ad *Amen*. Stabunt pariter versus Altare ad Preces in Prima, & completorio nisi sit genuflectendum, & ad Cantica Euangelica.

2 Standum semper in choro ad initia horarum, Inuitatoria, Hymnos, Capitula, Lectiones breues, responsoria breuia, versiculos, absolutiones, benedictiones, textum Euangelij ante Homiliam, *Te Deum laudamus*, Cantica Euangelica scilicet *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*, Simbolum Athanasij, antiphonam, orationes, Commemorationes, & suffragia communia Sanctorum. Ad antiphonas finales B. Mariæ Virginis tempore Paschali, & in diebus Dominicis à primis Vesperis. Standum pariter erit capite aperto si Sanctissimum Sacramentum sit super altare expositum,

vel fiat communio, aut missa celebretur.

3 Sedendum, si placuerit, ad Lectiones; ad Psalmos, vel alternatim, vel ad aliquos iuxta vsum, ad Martyrologium excepta Vigilia Natiuitatis Dñi, ad officium Defunctorum vsq; ad Psalmum. *Laudate Dominum de Cælis* &c., & ad Psalmos Graduales exceptis precibus &c.

4 Inclinandum profundè caput versis vultibus è regione ad primam orationem siue Missæ, siue Horarum vsque ad *Qui viuis* &c. aut *Qui tecum viuit* &c. *Ad Gloria Patri* vsq; ad *Sicut erat* &c. Quoties pronuntiatur nomen Iesu, B. Mariæ, vel S. Patris Augustini, aut Sanctorum, quorum festum colitur, aut commemoratio fit post primam orationem, Fratres nisi sint è regione versus Altare se inclinabunt, profundius quidem ad nomen Iesu, quàm ad alia. Hæ autem inclinationes non sunt faciendæ pro alijs Sanctis, quorum commemorationes communes fiunt in Missa, Vesperis, aut Laudibus. Item inclinandum est ad nomen SS. D. N. Papæ in orationibus tantùm; Ad *Confiteor*, quod dicitur in Prima, & Completorio; vsq; ad *Misereatur*; & generaliter ad subsequentia.

Ad versicul: *Sit nomen Domini benedictum.*
Sanctum, & terribile nomen eius.
Benedictus Dominus die quotidie.
Benedictum nomen Maiestatis eius in æternum.
Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.
Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu.
Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum.
Benedictus es Domine in firmamento Cæli.
Adiuua me, & saluus ero.
Adiuua nos Deus salutaris noster.
Pariter ad vltimum versum Hymnorum.
Cum dantur benedictiones à Superiore in Prima, & Completorio. Et ad similia.

Quotiescumque Fratres Psalmos, & Antiphonas inceperint, vel ad pulpitum accesserint profundè inclinabunt, idemque facient antequam inde recedant. Sic versus Hebdomadarium Lector inclinabit caput dum dicit: *Iube domne benedicere.* Tandem qui tardè ad officium venerint facta altari genuflexione, & signo Su-

pe-

perioris expectato, conuersi vt ad loca sua vadant, eundem, & chorum inclinatione tanto profundiore salutabunt, quanto erunt iuniores, & idem facient à choro discedentes ante finem officij.

5 Genuflectent Fratres in choro existentes, quando ex vna parte chori, vel Altaris maioris ad alteram transeunt, vel ad medium Altaris accedunt, vel recedunt. Item ad illud Psalmi in Matutinis: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*; ad illa pariter verba: *Te Deum laudamus*; & in eodem Hymno ad integrum versum: *Te ergo quæsumus famulis* &c.; & in Epiphania Domini ad antiphonam tertij nocturni: *Venite adoremus* &c. toties quoties repetitur, & ad verba vltimi responsorij: *Et procidentes adorauerunt eum*. Genuflectendum pariter in Hymnis ad ea: *Veni creator Spiritus*. *Aue Maris stella*. *O Crux aue spes vnica*. *O salutaris hostia*. *Tantum ergo Sacramentum*; si coram Sacramento etiam latente in tabernaculo, secus non. Qui tamen Hymnos intonant stabunt, & post intonationem ipsi quoque debitam facient genuflexionem.

Item genuflectendum erit ad preces feriales in Laudibus, Vesperis, & Horis; ad preces Defunctorum, quamuis non dicantur Psalmi: *Lauda*, & *De profundis*. Ad antiphonas B.V., quæ dicuntur in fine officij, & ad orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, quæ dicuntur in fine completorij, exceptis Dominicis, & tempore Paschali. In Martyrologio Peruigilij Nat. D. N. Iesu Christi ad verborum prolationem: *In Bethleem Iudæ* &c. vt clariùs dicetur Ritu 3. Lectores denique post lectiones in Matutinis, Prima, & Completorio recitatas versus Altare genuflectere debent, dum dicunt: *Tu autem Domine miserere nobis*.

6 Signum Crucis adhiberi debet pollice signando os ad illud initio Matutini: *Domine labia mea* &c. Item manu extensa signando se à fronte ad pectus, & à sinistro humero vsque ad dexterum cum dicitur: *Deus in adiutorium* &c. in initio Horarum (non autem cum dicitur ter ad Primam post orationem *Sancta Maria, & omnes Sancti*) Item ad versum: *Adiutorium nostrum*, ante confessionem in Prima, & Completorio. Sic ad *Indulgentiam*; & ad ea in fine Primæ. *Dominus nos benedicat*; & in fine Completorij: *Benedicat, & custodiat* &c. Laudabiliter etiam fit signum Crucis cum

pol-

pollice in pectore ad illa verba: *Conuerte nos Deus* &c. initio Completorij; ficuti etiam laudabile eſt fieri ad initium Canticorum Euangelicorum ſcilicèt *Magnificat*, *Benedictus*, *& Nunc dimittis*, quia Euangelia ſunt; & etiam ad antiphonam de Cruce: *Per ſignũ Crucis* in feriali officio.

7 Cantores cantare debent Inuitatorium cum Pſalmo: *Venite exultemus* &c. Initia Pſalmorum ideſt primam verſus partem vſq; ad mediationem non vltra; ita initium, ſeu primum verſiculum Hymnorum, verſus, & reſponſoria omnia; Initium Canticorum Euangelicorum; Initium: *Te Deum laudamus*, & vlterius verſiculum: *Per ſingulos dies Benedicemus te*; Pariter *Benedicamus Domino* in laudibus, & Veſperis; intonare debent antiphonas in repetitione poſt Pſalmos, & antiphonas B. M. V. in fine Completorij.

8 Duo ſint Cantores in choro, ad quos ſpectabit antiphonas annuntiare incipiendo à dignioribus, hocq; tantum in Veſperis, Matutinis, & Laudibus, & alternatim, ſcilicet ex vna parte chori poſtea ex alia; antiphonas autem Canticorum Euangelicorũ ſemper annuntiabunt Hebdomadario. Circa antiphonas quæ dicuntur maiores ante feſtum Natiuitatis Domini N. I. C. mos irrepſit illas annuntiare cum aliqua ſolemnitate puta cum luminaribus &c. & præcipuè primam. *O Sapientia*, quæ communiter annuntiatur Superiori Conuentus, & ſubſequentes dignioribus. Et hoc idem in multis Conuentibus obſeruatur in quinta antiphona Veſperarũ Natiuitatis: *De fructu ventris tui*. Semper autem in annuntiando antiphonas Cantores caput inclinent primò verſus Altare, deinde verſus Sacerdotem, cui antiphona annuntiatur.

9 In duplicibus Cantores ſimul intonabunt Inuitatorium cum Pſalmo, Hymnos, initium Pſalmorum, & Canticorum, repetitionem antiphonarum, verſus ante lectiones, & poſt Hymnos, Reſponſoria breuia Horarum, *Benedicamus Domino*, antiphonas B.M. Virginis poſt Completorium cum verſu ſequenti. Ex quibus aliqua ſtantes in loco ſuo cantabunt, ſcilicet Pſalmorum initia, repetitionem antiphonarum, & antiphonas B. M. V. in Completorio; aliqua procedendo ante maius Altare cum duplici genuflexione ante, & poſt intonationem, ſcilicet Inuitatorium cum Pſalmo *Venite*, Hymnos, Reſponſoria breuia, verſus, initia Canticorum, &

Be-

Benedicamus Domino. Responsoria autem Matutini in medio chori alternatim recitabunt. Tandem in Commemorationibus, si quæ faciendæ sunt, vnicus Cantor antiphonã,& versum intonabit.

In semiduplicibus omnia sicuti in duplicibus præstanda sunt preter quam quod initia Hymnorum, Psalmorum, Canticorum, repetitiones antiphonarum, antiphonæ B. M. V. in Completorio vnicus intonabit Cantor stans in loco suo. In simplicibus vero, & ferialibus semper in loco suo stabunt Cantores, & primus Cantor solus intonabit Inuitatorium cum Psalmo, Hymnos, Cantica, versus, & responsoria breuia cum *Benedicamus Domino* &c. In reliquis autem puta in intonatione Psalmorum, repetitione antiphonarum, & responsoria vicissim Cantores recitabunt.

10 Hebdomadarij officium erit Horas omnes ad nutum Superioris intonare, absolutiones, & benedictiones ante Matutini lectiones (nisi Superior ipse hoc præstet) facere, capitula, antiphonas, Horarum, item & Canticorum Euangelicorum; orationes pariter omnes, & preces cum versu *Dominus vobiscum*, *Benedicamus Domino*, *& Fidelium* &c. dempto *Benedicamus Domino* in Laudibus, & Vesperis, cantare; aliaq; multa præstare, quæ quotidiana addiscuntur praxi.

11 Ad Priorem, vel chori Superiorem spectabit signum dare pro Horarum inceptione, & terminatione; *Confiteor* primum in Prima, & Completorio cum *Misereatur*, *& Indulgentiam* incipiendo ab *Adiutorium nostrum* &c. recitare; In Prima Benedictiones facere dicendo: *Dies, & actus nostros* &c. *Adiutorium* &c. *Dominus nos benedicat* &c. Item in Completorio *Noctem quietam* &c. *Benedicat, & custodiat* &c. & in fine Laudum, Horarum, & Vesperarum dicere: *Dominus det nobis suam pacem*, & antiphonam B. M. V. cum *Sacrosanctæ* submissa voce intonare.

12 Acholiti munus erit Martyrologium cantare, item & lectiones breues Primæ, & Completorij. Lectiones autem Matutini cum *Iube domne benedicere* regulariter incipient iuniores. Sed de his fusius sequenti Ritu.

RITVS II.

Psallendi, & canendi diuinum Officium in choro.

1 Fficium diuinum tàm diurnum, quàm nocturnum semper, & vbique siue in nota, siue sine nota distinctè, morosè pariter, & deuotè dicatur, quatenus iuxta regulam: *Hoc versetur in corde, quod profertur in ore. (Rubr. Defin. cap. 2.)*

2 In diebus ferialibus, & festis simplicibus Horæ canonicæ dicantur sine nota, & tono, sed nostro modo consueto, nec nimis alte, nec nimis depresse voce æquali, & fiat pausa in medio versiculi; sicq; percipiatur silentium in choro, omnes æqualiter finientes, & æqualiter incipientes.

2 Inter officium autem Beatissimæ Virginis, & aliud officium sit differentia vocis, & Psalmodiæ, vocis quidem, vt sit depressior in tertia nota, & ad plus in quarta; Psalmodiæ vero, vt non sit tam morosa, nec pausa tam longa. Vesperæ autem dicantur eodem modo, nisi quod à capitulo, & in antea in nota, & tono omni tempore cantentur, & *Magnificat* cum antiphona in tono currenti, & antiphona festi præcedentis cum debitis orationibus. Aliæ verò Commemorationes (scilicet suffragia) dicantur sine nota. Semper autem antiphona: *Da pacem* &c., & *Benedicamus Domino* dicantur cum nota. Ad Completorium vero semper cantetur antiphona Beatæ Virginis secundum diuersitatem temporum. Psalmodia fiat, vt superius est expressum sine nota, & tono.

4 Diebus verò Dominicis, & festis semiduplicibus Horæ dicantur vt supra. Si tamen videbitur Priori dici poterint cum nota, & in tono. Vesperæ præcipuè dicantur, si fieri potest, in nota, & tono suarum antiphonarum.

In

In festiuitatibus vero Apostolorum, & duplicibus eodem modo dicantur sicuti in Dominicis diebus. Sed in maioribus duplicibus Hymni, antiphonæ, & Psalmi dicantur per omnes Horas in nota, & tono.

5 Officium autem nocturnum sic disponatur, quod diebus ferialibus, ac simplicibus semper Hymni nocturnorum, & laudum cantentur in tono suo, antiphonæ verò nocturnorum non cantentur. Ad laudes verò cantetur *Benedictus* cum sua antiphona.

Diebus verò Dominicis, semiduplicibus, & in festis Apostolorum, & alijs duplicibus maioribus, & minoribus Matutinæ dicantur, & cantentur secundum, quod discretioni Superioris, qui in choro fuerit videbitur expedire. Quandocumque cantatur. *Te Deum laudamus*, vltima Lectio cantetur in tono. Et si videbitur Priori etiam vltimum responsorium cantetur in nota. Hæc ex Rubricis Definitionum Rubr. 1. cap. 2.

6 Ex his in Congregatione nostra præsertimque in maioribus, & insignioribus Monasterijs constans, & laudabilis inoleuit consuetudo, vt semper in Matutinis siue duplicium, siue semiduplicium, siue simplicium, vel ferialium cantentur Hymni cum Cantico *Benedictus* in tono propriæ antiphonæ. In solemnioribus autem festiuitatis præter Hymnos, & Canticum cantentur Matutinæ, vt infra videlicet.

In die Natiuitatis Domini N. I. C. dicantur in tono omnes antiphonæ tam Nocturnorum, quam Laudum, item versus, Absolutiones, Benedictiones, & Lectiones; insuper primus Psalmus tertij Nocturni *Misericordias Domini, Te Deum* &c. vt fusiùs infra dicetur in peculiari Ritu.

In Circumcisione Domini cantentur antiphonæ Nocturnorum tantum, cum tribus vltimis Lectionibus, & *Te Deum laudamus*.

In Epiphania Domini cantentur omnes antiphonæ tam Nocturnorum, quam Laudum cum omnibus Benedictionibus, & Lectionibus; item primus Psalmus tertij Nocturni: *Venite exultemus*, & *Te Deum*.

In tribus diebus hebdomadæ maioris dicantur in tono, & nota omnes antiphonæ Nocturnorum, & Laudum, pariter in proprio cantu Lamentationes, et Lectiones.

In

In triduo Paschatis eodem modo vt supra omnes antiphonæ, et Lectiones.

In Ascensione Domini antiphonæ Nocturnorum tantum cum tribus vltimis Lectionibus, & *Te Deum*.

In triduo Pentecostes cantentur omnes antiphonæ Nocturnorũ, & Laudum, Lectiones, & *Te Deum*.

In festo Corporis Christi dicantur in cantu tres vltimæ Lectiones, *Te Deum*, & antiphonæ Laudum.

In Assumptione B.M. Virginis tres vltimæ Lectiones, *Te Deum*, & antiphonæ Laudum.

In solemnitate S. P. N. Augustini omnes Lectiones cantentur cum *Te Deum*, & antiphonis Laudum.

In festo omnium Sanctorum tres vltimæ Lectiones, *Te Deum*, & antiphonæ Laudum.

In cæteris verò solemnitatibus primæ classis, vt Natiuitatis Sãcti Ioannis Baptistæ, Sanctorum Petri, & Pauli, Sancti Titularis, vel Dedicationis Ecclesiæ. Item in duplicibus secundæ classis cum octaua, vt Sancti Stephani, Sancti Ioannis Euangelistæ, Sanctorum Innocentium, si venerint in Dominica, Sanctæ Matris Monicæ, Natiuitatis B. M. Virginis, Sancti Laurentij, Sancti Nicolai de Tolentino, Sancti Thomæ de Villanoua, & aliorum. Pariter in consimilibus festiuitatibus, vt Sanctissimæ Trinitatis, inuentionis Sanctæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis, & Conceptionis Virginis Mariæ, Dedicationis Sancti Michaelis Arcangeli &c. vltima sola lectio cantetur cum *Te Deum laudamus*.

7. Circa Lectiones autem hic ritus seruandus est, vt semper procedatur à iunioribus ad seniores, ita vt Lectiones primi Nocturni dicantur à minoribus, & sic ascendendo; præter quam in triduo maioris Hebdomadæ, in quibus Lamentationes cantantur semper à senioribus Conuentus, & descenditur ad minores.

8 Quantum ad cantum Horarum in celebrioribus Conuentibus mos est quotidiè canendi (præter quam dum officium celebratur de simplici, vel Feria) vnam ex illis siue Tertiam, siue Sextam, siue Nonam, Tertiam videlicet ante missam præsertim infra octauam Pentecostes, Sextam toto tempore æstiuo, quo Nona dicitur post prandium, & Nonam alijs mensibus. Imo tempore æstiuo inter-

dum,

dum præter Sextam canitur etiam Nona post prandium .s. in solemnitatibus, & festis insignioribus. Vniuersaliter tamen, & in omnibus Monasterijs, in quibus Missa canitur Conuentualis diebus festiuis, siue ex præcepto, siue ex voto, siue ex deuotione semper vel Sexta, vel Nona ante Missam cantare debent. Excipiendo tamen triduum maioris hebdomadæ, in quibus præter Missam, & Matutinas reliquum officij recitatur submissa voce, & sine nota.

9 Ritus canendi Vesperas ex dictis supra manifestè liquet; Hinc fit, quod vbi non cantantur quotidiè Psalmi saltem antiphonæ omnes cum Hymno, & Cantico cantentur. In nota autem, & tono Psalmi omnes dici debent in diebus festiuis tum ex præcepto, tum ex voto, tum ex deuotione, in duplicibus primæ classis, secundæ classis cum octaua, & B. Mariæ Virginis, hocq; loquendo tàm de primis, quàm de secundis Vesperis, & regulariter in duplicibus maioribus.

10 De Completorio consuetudo docet, quod diebus, quibus cantantur Vesperæ etiam Completorium cantari debeat. Semper tamen siue cantetur, siue non cantetur, antiphona vltima B. Mariæ Virginis in tono dicenda est.

Suffragia Sanctorum, quæ Dominicis diebus, & in semiduplicibus in fine Laudum, & Vesperarum recitantur, laudabile est, quod in Vesperis Dominicarum in nota, & cantu dicantur.



RITVS III.

Canendi Martyrologium cum alijs, quæ in peruigilio Natiuitatis Domini exequuntur.


1 IN Peruigilio Natiuitatis Domini N. I. Christi completis Laudibus accedat P. Vicarius ad Sacristiam, vbi cum superpelliceo, & pluuiali albo se parabit ad Martyrologium canendum. Adsint quoque duo ceroferarij cum luminaribus, & Acolytus cum incenso, & thuribulo. In medio Sacristiæ sternatur legile, supra quod apertum ponatur Martyrologium, & circumcirca sedilia Fratrum. Interea à Fratribus in choro dicitur Prima. Completa oratione: *Domine Deus omnipotens* &c. cum *Benedicamus Domino*, bini, & bini egrediantur, Psalmum dicendo: *De profundis* cum *Gloria Patri* &c. et Sacristiam ingrediantur in loco sibi debito quisque sistendo. Tunc ad Lecturinum P. Vicarius, vel Superior accedet hinc inde adstantibus ceroferarijs, & posito in thuribulo incenso ter librum Martyrologij adolebit. His peractis in tono ibidem descripto Martyrologium cantabit. Ad illa verba: *In Bethleem Iudæ nascitur* &c. Fratres omnes genua flectant, ad alia, quæ subduntur: *Natiuitas Domini N. I. Christi secundum carnem*; ad terram se se prosternant eodē tono respondendo: *Deo gratias*.

2 Exinde surrectis Acholytus reliquum cantabit Martyrologij ab illis incipiendo verbis: *Eodem die Natalis Sanctæ Anastasiæ* &c. & vt de more complebitur Prima. Hac completa, & exutis ministris, sedeant in loco suo Fratres, & tunc qui ex iunioribus, vel Clericus, vel Nouitius deputatus est ad Christi natalitia annuntianda, ad pedes Prioris, se conducat genuflexus dicens: *Iube Domne benedicere*; Prior autem respondeat: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annunties Iesu Christi Natiuitatem:*

In

In nomine Patris, &c. eiquè porrigat manum ad osculandum. Surgat deinde iuuenis, & ad paratum locum tendat, vbi latino idiomate breuem habebit de Christi Natiuitate, eiusque fructibus sermonem, quo finito ad propriam redibit sedem.

3 Post hæc Prior stans, simulq; cum eo Fratres dicat: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*. ℟. *Qui fecit Cælum, & terram*. ℣. *Benedicite*. ℟. *Deus*. ℣. *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam, & fidelium animæ per Dei misericordiam requiescant in pace*. ℟. *Amen*. Iterum sedent omnes, & Prior materna lingua discursum habeat omnes hortando ad Christi Domini natalitia puro corde, & animo celebranda, & tunc, si quæ sunt admonenda, admoneat, vt digniùs sacrosancta solemnia sanctificentur. Deinde accepta stola absolutionem dabit generalem, vt fit in solemnitatibus, & Sacrista candelam cuilibet ex Fratribus in honorem Natalis Domini porriget, & terminabitur ceremonia.



RITVS IV.

Matutinas canendi ipsa nocte Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi.


1 SAcerdos siue Prior sit, siue Vicarius primam cantaturus Missam accensis super Altare Luminaribus, ad aram cum Ministris pluuiali indutis albo, ceroferarijs, & acholito manuale gestante accedent, & dicto: *Pater noster, Aue Maria, & Credo* cantabit: *Domine labia mea aperies* &c. *Deus in adiutorium* &c. & post *Gloria Patri* chorum de more intrabunt. Hinc stantes omnes respondebunt Inuitatorio à duobus ex ministris dicto, exinde Hymnum cantabunt: *Iesu Redemptor omnium* &c. quo peracto Prior adhuc pluuiali indutus primam antiphonam intonabit: *Dominus dixit ad me* &c. Hac completa deponent ministri sacra indumenta, ceroferarij candelabra, acholitus librum in locis ad hoc paratis, & sellas propias adibunt. Cantabuntur autem hoc ordine Matutinæ, vt saltem antiphonæ Versiculi, Absolutiones, Benedictiones, & lectiones cum integro psalmo primo tertij Nocturni: *Misericordias Domini* &c. vtpotè sublimibus repleto mysteriis, decantentur.

2 Circa Lectiones autem tertij Nocturni hic erit seruandus ritus. Pareatur ante maius Altare in cornu Euangelij Legile, seu Lecturinum panno, seu velo albi coloris opertum, & super Lectionarium, vel Breuiarium aperiatur. Completis versiculis tertij Nocturni, factaque absolutione exeat Diaconus, vel Sacerdos ex iunioribus alba stola ad modum Diaconi, & albo pluuiali indutus, & ante eum ceroferarij cum luminaribus, duo alij superpelliceo ornati cum intortitijs accensis, & Acholitus cum incenso, & thuribulo. Ad Lecturinum peruentus, hinc inde adstantibus luminaribus dicat: *Iube Domne benedicere*. Superiore ex choro respondente:


Euan-

Euangelica lectio &c. Deinde accepto thuribulo ter librum incensabit, & cantata Lectione ad chorum redibit. Idem ritus tenendus erit in Lectione secunda, vt scilicet alter eodem modo indutus, sed præter ceroferarios cum alijs quatuor intortitia accensa tenentibus ad Lecturinum adeat, & Lectionem decantet. Sic etiam in tertia Lectione, ad quam sex alij cum cereis interesse debent vltra ceroferarios. Peractis omnibus cantabitur; *Te Deum*, in cuius fine Sacerdos missam cantaturus cum ministris è choro egressus ante maius altare stans orationem *Concede* &c. dicat, & post *Benedicamus Domino* ad se pro missa parandum ad Sacristiam reuertatur.

3 Poterunt etiam hac nocte Laudes solemniter cantari, & tunc ea omnia exequenda sunt, quæ in Vesperis solemnibus cum incensatione Altaris ad *Benedictus*.







RITVS V.

Vesperas solemniter celebrandi.

1 AD Vesperas solemniter celebrandas procedet Celebrans de Sacristia ad Altare pluuiali indutus, *(Cerem. Ordinis. Praxis Sac. Rit. & Cerem)* præcedentibus duobus ceroferarijs cum candelabris, & cereis accensis, deinde Acholito, seu Thuriferario, postea Cantoribus pariter pluuialibus ornatis medium habentibus Celebrantem, si locus patitur, fimbrias anteriores pluuialis eius eleuantibus capite tecto, vel manibus iunctis ante pectus. Cum peruenerint ad infimum gradum Altaris ceroferarij omnium postremi hinc inde à lateribus stabunt, Thuriferarius à dextris primi ceroferarij, in eorũ medio Cantores, inter Cantores medius Celebrans, simulq; omnes capite detecto genuflectent in eodem gradu parumper orantes, postea surgent, & profundè inclinati Sacerdos versus Altare, Cantores, & Acholiti è regione paululum retro celebrantem dicent; *Pater noster*, & *Aue Maria*; quibus secretò dictis, & omnibus ad Altare conuersis Sacerdos clara, & competenti voce cantabit: *Deus in adiutorium* &c.

2 Alter etiam in Vesperarum solemnium intonatione seruatur ritus, quod facta Altari reuerentia, seu genuflexione Sacramento, Celebrans cum ministris accedunt ad parata scamna in cornu Epistolæ, ita vt Celebrans sedeat altius, puluuino saltem supposito, & ibi dicto: *Pater noster*, & *Aue Maria*, Vesperas incipit dicens, *Deus in adiutorium*, &c.

3 Ceroferarij dum dicendum erit: *Pater noster*, collocabunt candelabra super vltimum Altaris gradum, vel super planum Capellæ, nec priùs resument quin: *Gloria Patri* à choro cantatum sit. His peractis si ad Altare inchoatæ sunt Vesperæ completo *Gloria Patri* &c. vsque ad *Sicut erat*; & reassumptis à ceroferarijs candelabris

labris procedet Celebrãs cum Cantoribus ad chorum,& in medio ſiſtens, à latere miniſtris adſtantibus primam cantabit antiphonã ſibi à Cantoribus annuntiatam, qua reſumpta, & finita à choro, & primo verſu Pſalmi à Cantoribus incepto, deponant ceroferarij candelabra, item Celebrans cum Cantoribus pluuialia, & quiſque paratam occupabit ſedem, itaut Celebrans primum habeat chori ſubſellium, lateralia verò, ac inferiora miniſtri.

4 Si verò in cornu Epiſtolæ inceptæ ſint Veſperæ dicto *Gloria Patri* &c. Præintonatur Celebranti ab vno ex paratis initium primæ antiphonæ cum debitis reuerentijs Altari, & Celebranti ante, & poſt, qua intonata à Celebrante, & à choro cantata, inchoatur Pſalmus à Cantoribus, & ſedent omnes poſt medium verſum primi Pſalmi capite operto, ſed aperiuntur capita, & inclinatur profundè ad *Gloria Patri* &c.

5 Cantores in choro antiphonas dignioribus alternatim annũtiabunt, vt moris eſt, & verſus finem vltimi Pſalmi tum ceroferarij candelabra, tum Cantores, & vltimo Celebrans (ſi nempè ſint in choro) pluuialia reaſſument. Deinde completa antiphona Sacerdos in medio ſtans tenente librum Thuriferario Capitulum cantabit detecto capite, manibusq; iunctis, adſtantibus hinc inde Cantoribus, & ceroferarijs. Dicto Capitulo Thuriferarius ad Sacriſtiam ſe conferet ignem, & alia pro incenſatione paraturus, & ceroferarij candelabra deponent. Poſt hæc vel ipſe Celebrans, vel Cantores Hymnum intonabunt, in quo ſi genuflectendum ſit, hoc non præſtabunt in ipſa Hymni intonatione,ſed poſt. Tandẽ Hymno dicto Cantores in medio chori verſum cantabunt, & ceroferarij candelabra de loco accipient.

6 Cùm verò ad Altare celebrantur Veſperæ Acholiti vnà cum candelabris, & cereis accenſis, item miniſtri accedent ad Celebrantem cum debitis reuerentijs, & Celebrans poſt vltimam antiphonam ſurgit, & detecto capite cantat Capitulum manibus iunctis, cui vnus ex miniſtris præintonat initium Hymni, quod ille cantat, & ſic vſque ad finem ſtat, recedentibus prædictis ad loca ſua, Acholitisq; deponentibus ſua candelabra. Poſt Hymnum cantatur verſus à duobus ex paratis miniſtris in medio Altaris, præcedentibus, & ſubſequentibus conſuetis genuflexionibus, & reuerentijs.

 7 Com-

7 Completo in choro versu antiphonam ad *Magnificat* sibi à Cantoribus prænuntiatam inchoabit Sacerdos,qua finita,& incepto à Cantoribus cantico, factoq; sibi Celebrans signo Crucis à frōte ad pectus vadit ad Altare cum ministris capite tecto præcedentibus inclinationibus ad vtramque chori partem. Exinde facta Altari genuflexione, ascendit,& illud osculatur in medio remanentibus ceroferarijs in plano, & mox vertens se ad cornu Epistolæ,ministrantibus nauiculam altero ex paratis, Thuribulum Thurifera-rio imponit thus, benedicit, & incensat Altare eo prorsus modo, quo fieri solet initio Missæ,sed sine Psalmo:*Dirigatur* &c.Incensato Altari Celebrans reddet Thuribulum Cantori,& Cantor Thurifera-rario, & facta Altari, quod tunc non osculabitur, reuerentia descēdet ante infimum gradum Altaris cum Cantoribus,vbi triplici ductu incensabitur à primo Cantore, vel Thuriferario, versa facie ad parietem in cornu Epistolæ, Cantores duplici ductu singillatim à Thuriferario, chorus triplici in communi, vel singillatim duplici, vel etiam vnico,ceroferarij vno,populus triplici,in medio scilicet, à dextris, & à sinistris tàm chori, quàm populi; quo facto Acholitus Thuribulum reponet, & librum orationis, seu manuale parabit pro oratione suo tempore dicenda.

8 Idem ritus incensandi Altare seruandus erit si extra chorum maneant ministri in Vesperarum celebratione, cum hoc solum discrimine, quod peracta incensatione Altaris reuertuntur omnes cum debitis reuerentijs ad loca sua, vbi fit Celebrantis, & ministrorum incensatio modo dicto. Quæ incensatio semper cessare debet ad ℣. *Dominus vobiscum*; sed ad *Gloria Patri* conuenit pausam facere, & caput inclinare.

9 Si aliud Altare incensandum est,puta Sanctissimi Sacramenti, quod more Almæ Vrbis incensandum est priusquam Altare ad quod Vesperæ fiunt, seu alterius Sancti, pro more locorum procedunt Acholiti, & alij parati, vt initio Vesperarum, & celebrans ea omnia facit, quæ in incensatione Altaris fiunt, excepto, quod non ponit incensum in thuribulo, nisi opus sit.


10 In fine vltimi versus Cantici Ceroferarij candelabra deponent, nec reassument quoadusque intonatum fuerit: *Sicut erat in principio* &c. Tunc reassumptis candelabris, & repetita antiphona tenen-

tenentibus librum Cantoribus, vel Acholito (nisi sit positus super legile) stans versus Altare manibus iunctis celebrans cantabit *Dominus vobiscum* cum oratione. Dum Sacerdos dicit orationes Ceroferarij stabunt ante illum versis vultibus ad inuicem, quasi è regione donec orationes compleuerit; & dicto vltimo *Dominus vobiscum*; locum suum repetent, nec se inclinabunt dum dicetur prima oratio, licet cantores, & Thuriferarius inclinent.

11 Pariter Celebrans si sit in loco in cornu Epistolæ cum repetitur Antiphona sedet cum ministris, interim Acholiti cum candelabris, & ministri parati accedunt ad Celebrantem, qui finita antiphona surgit cum alijs, & aperto capite, Ceroferarijsque stantibus versa facie ad inuicem stans versus Altare iunctis manibus cantat: *Dominus vobiscum*, cum orationibus, & commemorationibus, si quæ sunt, & vltimo *Dominus vobiscum*; quo completo recedunt Acholiti, & duo ex cantoribus accedunt ad Altare, vbi cantant: *Benedicamus Domino*; deinde redeunt ad celebrantem, qui demissiori voce addit: *Fidelium animæ* &c. postea antiphonam B. M. Virginis stans, vel genuflectens cum reliquis vsque ad finem Vesperarum. Sicque omnes ordine, quo venerunt redeunt ad Sacristiam.

13 Cum vero Celebrans orationes dicit ante Altare vt supra num. 10. peracta prima oratione, si quæ sunt commemorationes fiunt, & cantores dicent versiculos; omnibus vero completis ijdem cantores propius Altari accedentes cantant: *Benedicamus*; & Sacerdos subdit: *Fidelium* &c. cum reliquis vsque ad finem Vesperarum.





RITVS VI.

In choro Missæ Conuentuales.

1 AD missam conuentualem canendam, *(Constit. cap. 6. Rubr. 1. cap. 4.)* quæ quotidie vbi est sufficiens numerus Fratrum cantari debet, omnes, & Clerici stabunt ante librum, vel in locis suis vultibus è regione conuersis ad Introitum, *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, Graduale, *Alleluia*, Versum, Tractum, *Credo*, Offertorium, *Sanctus*, *Agnus Dei*, & Communionem.

2 Mediocriter inclinabunt ad illa verba Hymni Angelici: *(Cerem. ordinis) Gloria in excelsis: Iesu Christe: Adoramus te: Gratias agimus: Suscipe deprecationem nostram.* Ad illa Symboli: *Credo in vnum Deum: In vnum Dominum Iesum Christum: Simul adoratur.* Ad illa Præfationis: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Et generaliter inclinabunt profundè ad ea omnia, quæ ritu primo nominauimus, puta *Gloria Patri*; nomen *Iesu*, *B. M. Virginis*, & Sancti, cuius festum colitur, item ad primam orationem &c.

3 Genuflectendum ad illud introitus missæ votiuæ de B. M. *Salue sancta parens*; ad illud missæ de Spiritu Sancto: *Veni Sancte Spiritus*; ad illud tractus ferialis Quadragesimæ: *Adiuua nos Deus*; ad illa verba Epistolæ in Dominica Palmarum: *Vt in nomine Iesu omne genuflectatur*, & quoties in missali notatur genuflexio, vt ad hæc verba: *Procidens adorauit eum. Procidentes adorauerunt eum. Ex Maria Virgine, & Homo factus est. Verbum caro factum est. Emisit Spiritum*, & similia.

4 Item à prima eleuatione Sanctissimi Sacramenti vsque ad *Per omnia* ante *Pater noster*. In missis vero Feriarum Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum. Sic in missis Defunctorum genuflectendum est, dum dicuntur orationes ante Epistolam, & post Communionem, & super Populum in Quadragesima.


ma. Item dicto per Celebrantem *Sanctus*, vsque ad *Pax Domini* exclusiuè exceptis Vigilijs Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, & quatuor Temporibus Pentecostes, in quibus genua tantum flectuntur à prima eleuatione Sanctissimi Sacramenti vsq; ad *Per omnia*, vt supra. Laudabile est etiam flectere genua ad Benedictionem Sacerdotis in fine Missæ.

5 Non flectant genua Fratres ad orationes, quæ præcedunt Prophetias siue vna, siue plures dicantur, sed tantum ad illa verba: *Flectamus genua. Leuate*. Quibus dictis stant erecti versus Altare vsque ad finem orationis. Lector vero Prophetiæ quando immediate post Prophetiam Sacerdos dicturus est. *Oremus: Flectamus genua* prope legibile genua flectat.

6 Signare se debent signo Crucis Fratres ad missæ Introitum; in fine Hymni Angelici ad illa verba *cum Sancto Spiritu*; in fine Symboli ad illa: *Et vitam venturi sæculi*. Ad *Benedictus, qui venit in nomine Domini*; ad vltimam benedictionem in fine missæ; & ad vtrumq; Euangelium.

7 In semiduplicibus, vel simplicibus, item in Dominicis, & Ferialibus vnicus Cantor intonabit Introitum, Psalmum, *Kyrie*, *&* *in terra pax*, Graduale, *Alleluia*, Tractum, *Patrem omnipotentem*, Offertorium, *Sanctus*, *Benedictus*, *Agnus Dei*, & Communionem, & hoc idem in missis Defunctorum, præterquam in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, in qua missa à duobus intonanda est. Ceterùm in duplicibus duo Cantores omnia prædicta exequentur.





RITVS VII.

A Clericis in Missa solemni ad Altare seruandus.

1 Ntequam Ministri exeant de Sacristia, ponet Celebrans incensum in thuribulo sibi à thuriferario ministrato, exinde facta Cruci, vel Imagini inclinatione, hoc ordine procedent, vt Thuriferarius cæteros præcedat, postea Ceroferarij cum candelis accensis, & deinde alij. *(Cerem. ordin.)* Cum ad Altare peruenerint Thuriferarius transit ad cornu Epistolæ, & ibi se sistit in plano versus cancellos, primus Ceroferarius à dextris eius, secundus ante cornu Euangelij. *(Ritus Sacri)* Facta reuerentia Altari, seu genuflexione, statim Ceroferarij candelabra hinc inde super anteriora credentiæ cornua collocabunt, vel in plano Altaris si credentia desit, ibique manibus iunctis, & facie ad altare conuersa genuflexi, manebunt donec Celebrans ad Altare ascendat, locus enim eorum ordinarius est prope credentiam. Pariter Thuriferarius deposito thuribulo, vel dato alicui extra Altare, qui tempore suo ferat illud cum carbonibus accensis, stabit cum Ceroferarijs propè credentiam genibus flexis. Poterit etiam ipsemet retinere thuribulum, vt fit multis in locis. Interea dum fit confessio Ceroferarij signant se, percutiunt pectus, & non inclinant, nisi ad nomina *B. Mariæ*, & ad *Tibi pater*, & *Te Pater*.

2 Facta Confessione, & ascendentibus ministris surgunt, & ipsi, ibidem manendo cum brachijs super pectus positis; Thuriferarius vero accepta nauicula porrigit illam Diacono, deinde offert Celebranti thuribulum, tenens illud, dum ponit incensum, & postea accepta nauicula de manu Diaconi sine osculis dat eidem thuribulum clausum. Dum fit incensatio in cornu Epistolæ, Thuriferarius

rius

rius deposita nauicula librum accipit cum puluino, & cornu incensato illud reponit. Dum Celebrans incensatur à Diacono, Thuriferarius stat à dextris paululum retro, & cum eo se inclinat prius, & post. Thuribulum autem à Diacono redditum cum nauicula, super credentiam ponit, vel in Sacristiam defert, & rediens stat in plano in latere Epistolæ prope credentiam, vbi locus eius ordinarius est.

3 Ad *Gloria in excelsis* postquam Celebrans cum ministris ad sedendum se contulerit etiam Acholiti in humiliori scamno faciem ad Altare versa sedent; & in fine Hymni priusquam cæteri surgunt, & manent stantes versus Altare, dum orationes dicuntur. Circa finem vltimæ orationis, Thuriferarius accipit librum Epistolarum de credentia, defert aliquantulum ante pectus eleuatum, & tradit subdiacono sine osculis stante in loco suo; qui accepto libro vadit per planum ad medium Altaris ab ipso Thuriferario, vel altero ex ceroferarijs comitatus, vbi facta in infimo gradu, & in plano ab Acholito genuflexione accedit ad partem Epistolæ contra Altare, & cantat Epistolam assistente à sinistris eius eodē Thuriferario aliquantulum retro, qui cum eo se inclinat, & genuflectit, & in fine respondet *Deo gratias*. Finita Epistola post manus Celebrantis osculationem à Subdiacono factam, redditur Thuriferario liber, qui in credentia reponit, & thuribulum cum igne reassumit.

4 Post Epistolam Ceroferarij accipiunt de credentia candelabra, & facta in plano genuflexione, vel reuerentia, ibi expectant, donec Diaconus procedit ad cantandum Euangelium, cui præcedunt & alter à dextris, alter à sinistris subdiaconi stabunt, dum canitur Euangelium, absque eo, quod vsquam genuflectant, vel moueantur. Thuriferarius vero post Epistolam, lecto etiam à Celebrante Euangelio portabit thuribulum in manu dextra, & nauiculam in sinistra porrigens Diacono, & thuribulum tenens, dum à Celebrante imponitur incensum. Quo facto præcedit cum acholitis Diaconum Euangelium cantaturum, cui pro incensatione libri, dictis verbis: *Sequentia Sancti Euangelij* &c. illud stans à sinistris porrigit, hoc modo, vt summitatem catenularum illi in sinistra manu exhibeat, easdem vero prope thuribulum in dextera, &

hoc

hoc abſq; oſculis, vel reuerentijs, quæ ſolum debentur Celebranti. Reddito Thuriferario thuribulo, dum canitur Euangelium ſtabit Thuriferarius poſt Diaconum à ſiniſtris eius, & leuiter agitabit thuribulum, eleuata aliquantulum operculi catena, ne ignis extinguatur.

5 Ceroferarij finito Euangelio ſine mora deponent candelabra ſuper credentiam. Thuriferarius vero tradit Thuribulum Diacono, qui cum incenſauerit Celebrantem illud Thuriferario reddit, hic autem deponit in credentia Thuribulum, & ſtans ibi manet. Cum dicitur *Credo* poſſunt ſedere modo dicto ad *Gloria in excelſis*; & tunc poſt: *Et incarnatus eſt* &c. Thuriferarius, vel primus ex ceroferarijs aſſociabit Diaconum ad credentiam, eiq;burſam dabit ad Altare deferendam, non tamen Diaconum ad Altare comitabitur, ſed ſtans remanebit in plano; poſtquam autem Diaconus ad ſedem redierit, ipſe quoque loco ſuo ſedere poterit.

6 Ad Offertorium alter ex ceroferarijs comitabitur Subdiaconum cum vadit ad credentiam, illum coadiuuando in tegendis ſibi humeris cum velo, & ſequitur illũ vſque ad Altare. Exinde Thuriferarius ſumit thuribulum, & peracta oblatione porrigit nauiculam Diacono, & thuribulum Sacerdoti,qui poſito in eo incenſo de more oblata,& Altare incenſabit. Interim Thuriferarius depoſita nauicula ſuper credentiam ei reddita à Diacono, amouebit de Altari, & reportabit librum, quando opus erit.

7 Poſtquam Celebrans incenſatus fuerit, ceroferarij cum debitis reuerentijs, & cum quaſi oſculis ampullæ, & manutergij ſtantes non genuflexi miniſtrabunt cum peluicula ampullam aquæ, & manutergiũ Celebranti ad *Lauabo*. Interim Diaconus incenſat chorum præcedente thuriferario, & ſe inclinante cum illo, qua incenſatione peracta, ipſe accipit de manu Diaconi thuribulum,vt illum incenſet, deinde Acholitos ſtantes ante credentiam ſine mora, poſtea populum modo inferius notando.

8 Circa finem Præfationis ceroferarij accendunt intortitia lumen accipiendo non ex Altari,ſed ex credentia. Ad *Sanctus* non inclinant, ſed ad *Benedictus* ſe ſignant, & campanulam pulſant. Poſt *Benedictus* genuflectunt, & ſi ipſi tenent intortitia in eleuatione Sanctiſsimi Sacramenti pariter cereos eleuabunt. Ad eleuationem


tionem ipse Thuriferarius ponet thus in thuribulum, & incensabit ter Hostiam, & ter Calicem (pulsante campanula vno ex cerofe-rarijs) deinde ad Sacristiam thuribulum reportabit. Surgent etiā ceroferarij, nisi teneant intortitia, & in loco suo stantes manebunt.

9 Versus finem orationis Dominicæ accedunt ceroferarij ad Subdiaconum, à cuius humeris velum amouent, plicant, & in credentia reponunt; si absint, hæc eadem peraget Thuriferarius. Postquam Subdiaconus à Diacono pacem acceperit, vnus acholitorum illum comitabitur ad pacem dandam ijs, quos incensauit Diaconus. Alter deferet sine genuflexione ampullas ad Altare cum peluicula, quos sine osculis Subdiacono porriget, & referet ad credentiam, ille vero qui comitatus fuit Subdiaconum portabit velum calicis ad cornu Euangelij, vt Subdiaconus calicem tegere possit. Exinde ab ijsdem extinguuntur intortitia, vel ministri ea retinentes recedant, & Ceroferarij ad locum suum redibunt, vbi stabunt vsque ad Benedictionem erecti, ad quam genuflexi signo Crucis se muniunt; Si vero Ceroferarij absint vices eorum supplet Thuriferarius ministrando ampullas, & cereos extinguendo.

10 Sub fine vltimi Euangelij Ceroferarij candelabra sua accipiunt de credentia cum cereis accensis, & facta genuflexione Altari, modo quo venerunt, completa missa, cum cæteris ministris ad Sacristiam reuertuntur.

11 In Missa solemni Defunctorum Thuriferarius procedit sine thuribulo, & nauicula iunctis manibus ante pectus. Ceroferarij more solito deferunt cereos ad credentiā, & accensos relinquunt per totam missam. Ad Euangelium Ceroferarij stant manibus iunctis prope Diaconum. Thuriferarius vero ad credentiam facie versa ad Diaconum. Ad absolutionem post missam præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante comitatus ab alio acholito cum vasculo aquæ benedictæ, & aspergillo, deinde Subdiaconus paratus cum Cruce, medius inter Ceroferarios cum candelis accensis, cum illisq; stabit ad pedes lecticæ, seu tumuli, & peracta absolutione redeunt modo, quo venerunt.

RI-



RITVS VIII.

Subdiaconi in Missa solemni.

1 STans Subdiaconus à sinistris Celebrantis cum ipso confessionem facit se signando, & inclinando secũ. Ascendit cum eodem ad Altare vbi genuflectit, sustinendo fimbrias Sacerdotis ex parte sua. Cum sit incensatio ad Introitum, ipse stat à sinistris celebrantis dextera eleuando eam Planetæ partem, quæ est circa brachia ipsius celebrantis, vt non impediatur, & sinistram super pectus ponit. Genuflectit semper cum celebrante, & completa thurificatione descendit absque vlla reuerentia ante cornu Epistolæ vbi manet, dum Diaconus incensat Celebrantem. Dum legitur Introitus, Subdiaconns stat à dextris Diaconi; dum dicitur *Kyrie* recedit post Diaconum, & cum Celebrans accedit in medium, vt dicat *Gloria in excelsis*, ipse pariter accedens, stat post Diaconum formando lineã rectam. Intonato Hymno genuflectit, & ascendit ad Altare manens à sinistris Celebrantis, cum quo submissa voce Hymnũ dicit, semper se inclinando, & signando tempore debito. Si sedendum est præcedit celebrantem ad paratam sedem, per viam breuiorem, se conducendo, & hic ordo seruandus est etiam in *Credo*.

2 Cum dicitur *Dominus vobiscum*, Oratio, Præfatio, & *Pater noster* stat semper post Diaconum in plano Capellæ, sicuti Diaconus à dextris Celebrantis. Circa finem vltimæ orationis, accipit librũ Epistolarum ab Acholito, quem defert ante pectus, & vadit per planum ad medium Altaris, vbi facta genuflexione redit ad cornu Epistolæ, & Epistolam cantat; qua absoluta facta iterum genuflexione in medio Altaris reuertitur ad Celebrantem, & genuflexus in supremo gradu Altaris osculatur eius manum libro superpositã, & ab eo benedicitur, præterquam in missis Defunctorum.

3 Osculata manu Celebrantis, & libro tradito Acholito Subdia-

dia-

diaconus celebrantis defert missale ad latus Euangelij, & ibi ministrat Celebranti, dum Euangelium legit, respondendo in fine: *Laus tibi Christe*. Postea descendit in planum stans à tergo Celebrantis ante missale inter cornu Euangelij, & medium Altaris constituto. Hora debita facta genuflexione procedit ad locum, vbi cantari debet Euangelium, accipit librum à Diacono, eumq; ambabus manibus apertum sustinet ante pectus, nec vnquam se inclinat, vel genuflectit, quia immobile legile repræsentat. Finito Euangelio tenens adhuc librum apertum nulli se inclinando, neque Altari, offert Celebranti osculandum in loco vbi est principium Euangelij postea librum Acholito reddit.

4 Ad *Credo* ea omnia præstat, quæ ad *Gloria in excelsis*. Dicto *Dominus vobiscum*, & Oremus, genuflectit, & præcedente Acholito accedit ad credentiam, & ab eodem super eius humeros velo sericeo imposito, accipit sinistra calicem de credentia, cum patena, & Hostia coopertum palla, & velo à collo sibi pendente (cum calicis velum super credentiam relinqui debeat) dextera superposita, per viam breuiorem ad Altare accedit, & eum porrigit Diacono, qui accepta patera cum Hostia offert celebranti, & interim Subdiaconus extergit calicem, & tradit Diacono, porrectoq; ei vini vrceolo, accipiens ampullam aquæ, & ostendens celebranti dicit: *Benedicite Pater Reuerende*, à quo super eam facto signo Crucis, ipse paululum aquæ infundit in calicem, & accepta à Diacono patena, quam cooperit velo ab humeris pendente, vadit post celebrantem in medio Altaris, & facta genuflexione ibi stat sustinens eam eleuatam vsque ad finem orationis Dominicæ. Et cum Celebrans dicit: *Orate Fratres*, ipse respondet: *Suscipiat* &c., & cum à Diacono incensatur, conuersus ad illum caput inclinat.

5 Versus finem Præfationis ascendit ad sinistram Celebrantis, cum quo dicit *Sanctus* &c. postea redit ad locum suum post Celebrantem, facta genuflexione. Ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti genuflectit super infimum Altaris gradum à sinistris, & completa eleuatione reuertitur ad locum suum. Circa finem *Pater noster* stans in cornu Epistolæ porrigit patenam Diacono, & deposito velo, descendit retro post Celebrantem. Cum dicitur: *Pax Domini* iterum genuflectens ascendit Altare ad sinistram celebrantis,

tis, & simul cum eo prosequitur *Agnus Dei* postea facta genuflexione recedit post celebrantem. Accipit pacem à Diacono respondendo: *& cum spiritu tuo*, & facta genuflexione, comitatus ab Acholito, vadit ad chorum, dat pacem singulis à dignioribus incipiendo; & tandem reuersus ad Altare ipsi Acholito. Pergit deinde ad dexteram Celebrantis, & quando opus est discooperit calicem, acceptaq; ampulla vini ab Acholito vinum pro purificatione ministrat cum debitis osculis, & reuerentijs.

6 Post purificationem vadit ad cornu Euaugelij cum debita genuflexione, & calicem aptat, & vestit illum proprijs manibus deferendo ad credentiam, vel ponendo in medio Altaris. Si dicendum est Euangelium non consuetum transfert Librum, & ad Benedictionem genuflectit super gradus à sinistris Celebrantis, & ibi stat erectus donec legatur Euangelium, quo lecto dicit: *Deo gratias*.

7 Cum nulla in missa fit credentia, Subdiaconus defert calicem ad Altare, vbi explicat corporale, & calicem in medio ponit, postea descendit ad confessionem faciendam, & ea omnia omittit, quæ circa credentiam fieri solent.

8 In missis Defunctorum non osculatur manus Celebrantis post Epistolam, nec ei post Euangelium librum offert osculandum. In fundendo aquam non petit Benedictionem, nec accipit à credentia calicem cum velo. Non tenet patenam post Celebrantem, nec respondit ad *Orate Fratres*, sed Diaconus dicit: *Suscipiat*. In eleuatione genuflexus in cornu Epistolæ thurificat Sacramentum. Ad *Agnus Dei* non percutit pectus, calicem detegit cum opus, & defert Crucem ad tumulum medius inter Ceroferarios.



RI-

RITVS IX.

Diaconi in Missa solemni.

1 Acta à Celebrante confessione, cui Diaconus à dextris assistit, ascendit hic cum illo ad Altare, sinistra fimbriam eius Albæ, & vestimentorum eleuando, & ad Altare genuflectit. Accepta deinde à Thuriferario nauicula parum inclinatus dicit Celebranti: *Benedicite Pater Reuerende*, & osculatur coclear, & manum Celebrantis ante & post; sic facit, dum Celebranti porrigit thuribulum, osculando summitatem catenularum, & dexteram eius. In incensatione assistit à dextris eleuando planetam Celebrantis circa brachia. Accepto thuribulo à Celebrante, cum osculis manuum eius, catenularum, eum ter incensat, cum profunda capitis inclinatione ante, & post, & reddit Acholito.

2 Ad introitum stat à dextris prope Celebrantem, sic ad *Kyrie Eleison* ei alternatim respondendo. Ad intonationem. *Gloria in excelsis* se ponit à tergo Celebrantis in secundo Altaris gradu; & hoc idem præstat ad *Credo*, *Dominus vobiscum*, orationes, Præfationem, & *Pater noster*. Intonato *Gloria*, facta genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis, & submissa voce cum eo dicit Hymnum, & hoc idem facit ad *Credo*. Si sedendum est de more sedet à dextris Celebrantis. Cum ante orationem dicendum est *Flectamus genua*; primus omnium Diaconus post celebrantem genuflectendo illud intonat, & subdiaconus respondet *Leuate*. Semper cum ascendit ad Altare sine Celebrante, facit in loco suo genuflexionem; inclinat etiam, & signat, cum inclinandum, & signandum est.

3 Dum Subdiaconus cantat Epistolam ipse stat à dextris Sacerdotis vsq; quo Sacerdos compleuerit Graduale cum Tractu, vel *Alleluia*, vel Sequentia. Quibus finitis, & data à Sacerdote Be-

nedictione Subdiacono, dum Celebrans legit Euangelium, Diaconus nullo comite defert librum Euangeliorum in medium Altaris quasi iacentem; quod si calix in Altari positus est, librum prope ipsum collocat ex parte Epistolæ; deinde accedit ad sinistram Celebrantis legentis Euangelium, quo lecto ministrat nauiculam ipsi Celebranti, qui ponit incensum in thuribulo à Thuriferario exhibito. Post hæc Diaconus genuflexus super primum gradum Altaris iunctis manibus dicit: *Munda cor meum* &c. mox surgit, & accipiens librum Euangeliorum de Altari petit benedictionem à Celebrante dicens: *Iube Domne* (non Domine) *benedicere*; & accepta benedictione manū Celebrantis supra librum positam osculatur. Quo facto portans librum clausum ante pectus, ad locum se confert versus Aquilonem contra Altare, .s. vt nec terga vertat Altari, nec populo, vbi tenente Subdiacono librum iunctis manibus dicit: *Dominus vobiscum*; cum dicit *Sequentia*, vel *Initium* signat librum in principio Euangelij, postea frontem suam, os, & pectus. Exinde accepto thuribulo ter librum incensat, .s. in medio, à dextris, & à sinistris, & reddito thuribulo iunctis manibus prosequitur Euangelium; Ad nomen *Iesus* caput inclinans, & si sit genuflectendum, versus librum genuflectens. Terminato Euangelio ter celebrantem incensat, & statim vadit post eum, dum intonat *Credo*, vel *Dominus vobiscum*.

4 Cum in Symbolo cantatum fuerit: *Et incarnatus est* &c. si fiat credentia, per viam breuiorem ad eam accedit, accipit bursam cum corporali intus, quam ad oculos vsq; eleuatam, ambabus manibus portat, & ad Altare ascendens sine vllo comite, facta prius genuflexione, explicat corporale, & extendit in medio Altaris, collocans Bursam ex parte Euangelij, & redit ad Celebrantem breuiori via. Si non dicitur *Credo* Subdiaconus defert Bursam simul cum calice.

6 Ad offertorium scilicet dicto *Oremus*, accedit Diaconus ad cornu Epistolæ, amouet calicem si est in Altari, vel si est in credentia, accipit eum de manu Subdiaconi, detegit, & dat patenam cū Hostia Celebranti, osculando eius manum; & accepta ampulla vini da manu Subdiaconi sine osculis imponit vinum in calicem, manu sinistra illum per nodum tenens, & infusa aqua de more à

Sub-

Subdiacono, illum tradit Celebranti, & pedem calicis tangens seu brachium dexterũ Celebrantis sustentans cum eo dicit: *Offerimus* &c. quem postea positum in Altari palla cooperit. Ponit deinde patenam in manu Subdiaconi stantis in cornu Epistolæ, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis.

6 Dicto: *Veni Sanctificator* &c. fit incensatio ministrante Diacono nauiculam, tenente manu dextra pedẽ calicis, dum incensantur oblata, amouente ipsum calicem ad partem Epistolæ (non tamen extra corporale) cum incensatur Crux, & postea reponente in suo loco, cum sinistra vero semper eleuatam tenente Planetam. Finita incensatione Altaris triplici ductu Diaconus Celebrantem incensat, deinde duplici ductu chorum, inclinans caput omnibus ante, & post, vltimo loco Subdiaconum tenentem Patenam, & reddito thuribulo Thuriferario, ipse ab illo incensatur; postea vadit retro post celebrantem in loco suo, ibi stans vsq; ad finem Præfationis, in cuius fine ante *Sanctus* accedet ad Altare, & recitat cum celebrante vsque ad Canonem. Deinde retrahit se ad sinistram Celebrantis ei assistens, dum dicitur Canon vertens folia, & dicenda ipsi indicans.

7 Cum Celebrans dicit: *Quam oblationem* &c. ipse accedit ad eius dexteram, & ibi in superiori gradu genuflexus cum Sacramẽtum eleuatur fimbrias planetæ eleuat, nunquam tamen eam deosculando, & quando opus est se erigans, calicem discooperit, & operit, ac cum Celebrante genuflectit, repositoq; calice redit ad librum: Cum Celebrans dicit: *Per quem omnia* &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione accedit ad dexteram celebrantis, & quando opus est discooperit calicem, & cum Celebrante adorat, similiter cooperit, & iterum genuflectit.

8 Ad *Pater noster* vadit retro post celebrantem facta prius genuflexione. Ad illa verba: *Et dimitte nobis* &c. accipit in cornu Epistolæ Patenam à Subdiacono, & purificatorio abstergens dat illam Celebranti illius manum osculando, & quando opus est discooperit, & cooperit calicem, & cum Celebrante adorat signando se signo crucis ad illa verba: *Da propitius pacem* &c. Dicto *Agnus Dei*, in quo inclinatus percutit sibi pectus cum Celebrante, non tamen sinistra cum eo posita super Altare, sed infra pectus, genu-

 flexus

flexus expectat pacem, & cum Celebrans osculatur Altare ipse se erigens, simul osculatur illud extra corporale; & ab eo dicente: *Pax tecum*, complexus, accipit pacem sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet: *Et cum spiritu tuo*. Diaconus accepta pace, dat eam Subdiacono, postea facta genuflexione vadit ad Librum, & dum celebrans se communicat stat profundè inclinatus versus Altare, & nisi subdiaconus adsit, ipse tunc discooperit calicem.

9 Peracta communione Diaconus defert clausum librum missalis ad cornu Epistolæ, & aperit, deinde vadit retro post celebrantem, dum dicit: *Dominus vobiscum*, & orationes, & cum dicturus est: *Ite missa est* cum Celebrante vertit se ad populum, facta prius genuflexione; Tempore vero Quadragesimæ ad; *Humiliate capita vestra Deo*; pariter vertit se ad populum, sed manet in cornu Epistolæ, nec vllam facit genuflexionem. Ad benedictionem Diaconus genuflectit in eodem gradu cum Subdiacono, sed à sinistris eius, & signat se signo crucis. Benedictione accepta accedit ad Celebrantem stans quasi medius inter ipsum, & Subdiaconum vsque ad finem missæ.

10 In missa Defunctorum nunquam Diaconus osculatur manū Celebrantis, non ministrat incensum ad Introitum, non petit benedictionem ad Euangelium, non incensat librum, vel Celebrantem post dictum Euangelium, quem tamen incensat post incensationē oblatorum, sed non alios. Ad *Agnus Dei* non percutit pectus, neque accipit pacem. Ad illa verba in fine sequentiæ: *Oro supplex, & acclinis* &c. accipit missale, super Altare reponit, & genuflexus dicit: *Munda cor meum* &c. Respondet. *Suscipiat* dum Celebrans dit: *Orate Fratres* &c. Circa tumulum, vel lecticam stat à sinistris Sacerdotis, ministrat nauiculam pro impositione incensi porrigit aspersorium, deinde thuribulum, & comitatur Sacerdotem tenens eleuatam anteriorem partem Pluuialis, cum transit ante Crucem genuflectit, & vltimo librum tenet dum Sacerdos orationem dicit.

RITVS X.

Celebrantis in Missa solemni. Vbi de Incensatione, & modo dandi pacem, ac celebrandi coram Sanctissimo Sacramento, Papa, Cardinali, & Episcopo.



1 QVÆ ad Celebrantem attinent fusè in Rubricis Missalis exarata reperiuntur; quare in præsentiarum ea tantum adnotabimus, quæ in missa solemni aliquo peculiari ritu sunt exequenda.

2 Postquam igitur facta confessione Celebrans cum ministris, ad Altare ascenderit, & illud fuerit osculatus, subministrante Diacono nauiculam, & Thuriferario thuribulum, sumit Celebrans cochlear ex ea, & ter accipit incensum, & ter ponit in thuribulo dicens verba benedictionis: *Ab illo benedicaris* &c., & deposito cochleari, producens manu dextra signum Crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Incensat postea Altare, quod in duas partes diuiditur in planitiem, seu mensam, & in frontem, seu faciem; Planities est pars superior, seu tabula, frons verò anterior pars. Planities pariter diuiditur in partem posteriorem, quæ est prope candelabra, & anteriorem, quæ est prope faciem; Facies autem nõ amplius diuiditur. Incensat autem hoc modo, vt facta Cruci reuerentia, vel genuflexione, si adsit Sacramentum, eam ter incensabit nihil dicens, neque in tota hac incensatione. Deinde iterum facta genuflexione incensat Altare, incipiens in cornu Epistolæ, vbi triplici ductu in æquali distantia incensat partem posteriorem planitiei candelabris proximam (non candelabra, vt aliqui dicũt) vsque ad finem cornu Epistolæ, vbi dimissa manu thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem bis ducto thuri-

bulo, & conuerſus ad Altare eleuans manum incenſat eius planitiem, ſeu menſam in parte anteriori ter ducens thuribulum linea tranſuerſali, quaſi per ſemicirculos vſque ad medium. Item facta reuerentia, vel genuflexione, procedendo thurificat aliud latus Altaris, nempè poſteriorem planitiei partem triplici ductu vſque ad cornu Euangelij, & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc ſtans ibidem eleuans thuribulum ter incenſat anteriorem planitiei partem linea tranſuerſali quaſi per ſemicurculos verſus medium Altaris, vt fecit in cornu Epiſtolæ. Deinde manu aliquantum demiſſa incenſat frontem Altaris ter ducens thuribulum, dum procedit à cornu Euangelij ad medium Altaris, vbi facta genuflexione, vel reuerentia, incenſat pariter triplici ductu reliquam faciei partem vſque ad cornu Epiſtolæ, vbi reddit thuribulum ipſi Diacono, à quo ipſe ſolus incenſatur.

3 Si in Altari fuerint Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, incenſata Cruce, antequam incenſet Altare, & antequam diſcedat à medio, primum incenſat eas, quæ à dextris ſtant ideſt à parte Euãgelij prope Crucem, bis ducens thuribulum, & facta reuerentia de more ſimiliter incenſat bis alias, quæ ſunt à ſiniſtris, hoc eſt à parte Epiſtolæ; poſtea proſequitur incenſationem, vt ſupra. Pro Imaginibus intellige ſtatuas releuatas non pictas in pariete, quibus ſicuti & reliquijs non inclinatur caput.

4 Poſt cantatam à Subdiacono Epiſtolam, verſa facie Celebrans ad medium Altaris, ſtans in cornu Epiſtolæ porrigit illi manum ſuper librum Epiſtolarum, vt eam oſculetur, & illum (præterquam in miſsis Defunctorum) benedicit nihil dicens. Poſtquam ipſe legerit Euangelium ponit incenſum in thuribulum, & benedicit, vt in initio miſſæ; exinde benedicit Diaconum genuflexum ante Altare, manum dexteram oſculandam ſuper miſſali in eius manibus exiſtente ponens, & dicit: *Dominus ſit in corde tuo* &c. Dum Diaconus canit Euangelium, Celebrans retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ibiq; ſtat verſus Diaconum iunctis manibus; ſe ſignat de more, ſi inclinandum eſt caput inclinet verſus Altare; in fine oſculatur Euangelium ſibi à Subdiacono porrectum, & incenſatur.

5 Ad Offertorium dicto: *Veni Sanctificator*, Celebrans mini-

ſtrante

ſtrante Diacono nauiculam,& dicente: *Benedicite Pater Reuerende*, ponit incenſum in thuribulum dicens: *Per interceſſionem* &c. producens ſignum Crucis ſuper thus in thuribulo, deinde eo accepto, nullam faciens Cruci reuerentiam incenſat oblata ter ducens thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circa Calicem, & Hoſtiam, ſcilicet bis à dextera eius ad ſiniſtram, & ſemel à ſiniſtra ad dexteram, diſpenſans verba hoc modo: In prima incenſatione, *Incenſum iſtud*; In ſecunda, *A te benedictum*; In tertia, *Aſcendat ad te Domine*; In quarta, *Et deſcendat ſuper nos*; In quinta, & ſexta, *Miſericordia tua*. Deinde facta reuerentia, vel genuflexione incenſat Crucem, & Altare, vt ſupra dictum eſt, recitans verba, & diſtribuens in incenſatione: *Dirigatur Domine oratio* &c. & cum reddit thuribulum Diacono dicit: *Accendat in nobis* &c. & incenſatur ab eo, deinde alij, vt dictum eſt Ritu de Diacono num. 6.

6 In reliquis proſequitur Celebrans miſſam, vt in rubricis miſſalis: Dicta prima oratione ante communionem videlicet: *Domine Ieſu Chriſte, qui dixiſti* &c. & oſculato Altari dat pacem Diacono ſiniſtris genibus ſibi inuicem appropinquantibus dicens: *Pax tecum*; & Diaconus dat Subdiacono; & hic alijs &c. Deferens tamen pacem, ſiue per oſculum, ſiue per tabellam ſacram, nulli faciet reuerentiam antequam pacem dederit, ſed data pace reuerentiam facit iuxta recipientium qualitatem. Laicis per inſtrumẽtum datur Pax, ſingulis per oſculum, & illis tantum datur, quos Diaconus incenſauerit, qui tamen eſſe debent perſonæ valde inſignes.

Reliqua, quæ ad Celebrantem, vel huiuſmodi ritus pertinere poſſent à Ceremoniali ordinis anno 1651. Pariſijs impreſſo ad ſatietatem haurire quiſquis poterit.

7 Si ſolemniter contingat celebrari coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito ſequentia ſunt adnotanda. Primò, quod Celebrans quoties accedit ad medium Altaris, aut recedit à medio etiam vt ſe conuuertat ad populum, vel tranſit ante medium Altaris toties genuflectat cum miniſtris. Secundò, quod Celebrans populum ſalutando nunquam terga vertat Sacramẽto; ſed in cornu Euangelij paulo diſtans à medio verſus populũ dicat, *Dominus*

vo-

vobiscum &c. & tunc ministri remanent in medio, & si Sacerdos redeat ad cornu Epistolæ ipsi facta genuflexione ipsum comitentur. Ad *Orate Fratres*, Sacerdos non perficiat circulum, sicut neque in Benedictione in fine missæ, & manus lauet in cornu Epistolæ facie aliquantulum versa ad populum. Sic Diaconus dicens, *Ite missa est*, stet extra medium terga vertens Celebranti stanti inter ipsum Altaris medium, & cornu Euangelij factis ab vtroque debitis genuflexionibus; Subdiaconus verò non se moueat. Tertiò, circa incensationem Celebrans benedicit incensum sine osculis, & ante incensationem Altaris genuflexus cum ministris in supremo gradu Altaris incensat Sanctissimum Sacramentum triplici ductu. Ad oblationem, incensatis oblatis, genuflexus cum Diacono à dextris Sacramentum incensat, deinde surrectus incensat Altare more solito. Cum incensandus est Celebrans descendit extra primum gradum, vel aliquantulum extra Altare in latere Epistolæ facie versa ad populum, non tamen vertendo terga Sacramento. Quartò, nunquam sedendum est exposito Sanctissimo, sed tunc Celebrans stet in medio Altaris cum ministris, qui stabunt retro eum quasi pares ex vtroque latere aliquantulum distantes. Quintò, ad vltimum Euangelium non signatur Altare. Ad *Verbum caro* &c. fit genuflexio versus Sacramentum. In fine Celebrans, & Subdiaconus ad latus Euangelij, Diaconus ad latus Epistolæ facta in supremo gradu genuflexione, paululum se retrahentes ne terga vertant Sanctissimo descendant, & iterum facta in plano genuflexione recedant. In missis priuatis idem ritus seruandus erit, demptis ijs, quæ spectant ad ministros, & incensationem.

8 Si autem contingat celebrari coram Summo Pontifice, Cardinali, vel Episcopo loci (loquimur de missis priuatis, quia solemnes peculiares ritus requirunt, vt videre licet in Ceremoniali Episcoporum) Tunc Celebrans, si est coram Papa, sistit se ante infimũ gradum Altaris à cornu Euangelij ante ipsum Pontificem, vbi genuflexus petit benedictionem; deinde versus ad Altare incipit missam, & minister stat in cornu Epistolæ. Si est coram Cardinali, vel Episcopo loci stans ante infimũ gradum Altaris in cornu Euangelij profundè tantùm inclinat pro licentia celebrandi.

In Confessione, vbi dicitur, *Vobis Fratres*, *Vos Fratres*, dicere debet

debet, *Tibi Pater, Te Pater*, quod dicens coram Summo Pontifice genuflectit, alijs verò Prælatis profundè inclinat. Si fuerint plures Cardinales debet dici, *Vobis Patres, Vos Patres*, & minister semper dicit: *Tibi Pater, Te Pater*, aliquantulum conuersus ad Sacerdotem: Et finita confessione Sacerdos breuiori via pergit ad Altare.

Post Euangelium Liber defertur ad Papam, Cardinalem, vel Episcopum pro osculo, & Celebrans non osculatur. Si fuerint plures æquales nulli datur, nec etiam Celebranti. Si inæquales datur digniori.

Minister daturus pacem genuflectit ad dexteram Celebrantis, porrigendo instrumentum osculandum ipsi Celebranti, tum facta genuflexione accedit ad Prælatum porrigens osculandum, facta tantùm reuerentia post pacem datam vnicuique, tergendo velo tabellam pro qualibet vice.

Cum velit Celebrans dare benedictionem, dicto *Placeat*, dicit, *Benedicat vos omnipotens Deus*; & conuertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem, vel Episcopum capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens prosequitur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, benedicendo astantes, vbi non est Pontifex, vel Cardinalis.

Finita missa coram Pontifice conuertens se ad illum facit reuerentiam cum genuflexione ex parte Euangelij; coram verò Cardinali sine genuflexione; vel accipit Calicem, & in plano conuertens se ad Prælatum profundè inclinat, & capite cooperto discedit ab Altare.



RI-

RITVS XI.

Processionis, & Stationum super sepulturas in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum.

1 IN die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum completis Laudibus mortuorum, vel missa, fit processio per claustrum, cæmeterium, & Ecclesiam, & loca, vbi sunt Defunctorum sepulcra tali ritu. Sacerdos stans in medio chori induit nigrum pluuiale, assistentibus ministris, quorum alter, scilicet Subdiaconus accipit crucem cum hasta, Diaconus autem librum tenet, & Sacerdoti semper assistit. Aderunt quoque duo Acholiti, quorum vnus vas habeat aquæ benedictæ cum aspersorio, alter autem thuribulum cum incensu. Tunc Cantores incipiunt responsoria mortuorum; puta: *Credo quod Redemptor meus* &c. *Qui Lazarum resuscitasti* &c. *Ne recorderis* &c. *Memento mei* &c. & dicto primo responsorio vsque ad versiculum saltem, subdunt ipsi Cantores *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison*, & statim Sacerdos dicit *Pater noster* &c. secreto. Interea accipit aspersorium aqua benedicta humefactum, & aspergit comitante Diacono, & eleuante pluuiale à dextris; deinde accepto thuribulo incensat eodem ordine. Vel absque eo, quod Sacerdos ipse circumeat aspergendo, & incensando, facto cum aspersorio signo crucis super terram, & hoc idem cum thuribulo, relinquit aspersorium, & thuribulum Acholitis, qui circumeuntes aspergunt, & incensant, ad Sacerdotem tandem se reducentes. Peracta aspersione, & thurificatione dicat Sacerdos.

℣. *Et ne nos inducas* &c. ℞. *Sed libera* &c.

℣. *A porta inferi*. ℞. *Erue Domine animas eorum*. ℣. *Requiescant* &c.

℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℞. *Et clamor meus* &c.

℣. Do-

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere, praesta quaesumus, vt eorum quoq; perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. *Requiem eternam* &c. ℟. *Et lux perpetua* &c.

Cantores autem subdant. ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* Et hæc erit prima statio.

2 His habitis incipiant Cantores reliquum Responsorij v. g. versiculum: *Qui venturus es* &c. vel responsorium nouum prout magis videbitur expedire, à Subdiacono eleuata Cruce, choro exeant Fratres omnes bini, & bini, tenentes in manu candelas accensas, & in fine Sacerdos cum Diacono, & Acholitis sistendo, vel in Sacrario, vel in vna ex claustri alijs, vel alio in loco, vbi sunt monumenta ad secundam stationem peragendam. Hic dicto *Kyrie eleison* &c. & omnibus alijs completis, quæ superius posita sunt huiusmodi à Sacerdote cantabitur oratio (*Missale Sanct Ord. S. Aug.*

OREMVS.

Praesta quaesumus Domine animabus famulorum tuorum Pontificum seu Sacerdotum misericordiae tuae implorata clementia, vt eius in quo sperauerunt, & crediderunt aeternum capiant te miserante consortium. Per Christum Dominum &c. vt supra.

Eodem ordine prosequenda erit processio, & complendæ stationes, quæ plus, vel minus erunt iuxta numerum locorum, vbi defuncti in Domino requiescunt.

In tertia autem statione oratio erit.

OREMVS.

Supplices Domine pro animabus famulorum, famularumque tuarum preces effundimus obsecrantes, vt quidquid conuersatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum sede laetantium constituas redemptorum. Per Christum &c.

In quarta statione.

OREMVS.

Deus fidelium lumen animarum adesto supplicationibus nostris, & da famulis, & famulabus tuis, quorum corpora hic, & vbiq; in Christo re-

requiescunt, refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Christum &c.

In quinta statione.

OREMVS.

Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta quæsumus, vt animæ famulorum, famularumq; tuarum, quorum hic in sepulcris collocata sunt ossa, à terrenis exutæ contagijs, in tuæ redemptionis partem numerentur. Qui viuis, & regnas &c.

In sexta statione.

OREMVS.

Absolue, quæsumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, vt in resurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum &c.

In septima statione.

OREMVS.

Deus cuius miseratione animæ fidelium requiescunt famulis, & famulabus tuis, & omnibus hic, & vbiquè in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per Christum &c.

In octaua statione.

OREMVS.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, propitiare animabus famulorum, famularumque tuarum, & omnia eorum peccata dimitte, vt mortalitatis vinculis absolutæ transire mereantur ad vitam. Per Christum &c.


4 Si plures octo faciendæ sunt stationes poterunt dici orationes, quæ in missali post missas defunctorum, ponuntur: *Animabus quæsumus Domine* &c. *Deus veniæ largitor* &c. si minus poterunt omitti prima, vel secunda, altera scilicet ex ipsis, seu aliæ iuxta exigentiam. In Ecclesiæ ingressu si Ecclesia sit capax, tres in ea fieri debent stationes, prima ex parte Euangelij, secunda ex parte Epistolæ, tertia autem in medio circa Lecticam, seu tumulum panno nigro stratum, vt de more; & in hac statione cantabitur: *Libera me Domine de morte æterna* &c. ea peragendo, quæ circa tumulum fieri solitum est, stationem terminando cum oratione:


ORE-

OREMVS.

Fidelium Deus omnium conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumq́; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia &c.

5 Dicta oratione (si ante missam hæc peracta sunt) incipient Cantores missæ Introitum cum nota, *Requiem* &c. omnesq; Fratres chorum intrabunt, Sacerdos autem cum ministris ad aram accedent. Si post missam, completa oratione, subdet Sacerdos vt de more. ℣. *Requiem* &c.; Cantores verò dicant, *Requiescant in pace. Amen.* Deinde submissa voce dicatur *De profundis* &c. omnesq; in pace recedant.





RITVS XII.

Laicorum Diuinum Officium B. Mariæ Virginis, & Defunctorum recitandi.

1 FRatres Laici præmisso *Pater noster*, quod dicere debent sicuti Clerici ad horas omnes vel flexis genibus, vel inclinati profundè, & reuerentèr; *(Const. cap. 2.)* sic diuinum Officium persoluent, vt pro Matutino vigintiquinque recitent *Pater noster*, pro Laudibus decem, pro Prima septem, pro Tertia septem, pro Sexta septem, pro Nona septem, pro Vesperis decem, & pro Completorio septem; hoc ordine, & modo. Dicto vno *Pater noster*, Matutinum his verbis incipient.

Domine labia mea aperies. Et os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adiutorium meum intende (signo Crucis se muniendo) *Domine ad adiuuandum me festina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.* Vel à Septuagesima vsque ad Pascha: *Laus tibi Domine Rex Æternæ gloriæ.* Deinde successiuè dicant vigesies quinquies *Pater noster* sine *Aue Maria*, & in fine cuiuslibet *Pater* addant *Gloria Patri* &c. excepto vltimo quem sic terminare debent. *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.*

Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas post primum *Pater noster* incipient cum *Deus in adiutorium* &c. reliqua prosequẽdo modo explicato; Completorium autem incipient his verbis: *Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuã à nobis. Deus in adiutorium* &c. vt supra.

2 De

2 De officio B. Mariæ Virginis idem erit ritus, quo ad numerum *Pater noster*, & modum incipiendi officium, & desinendi, sed loco *Gloria Patri* &c. dicitur totum *Aue Maria*, excepto semper vltimo *Pater noster*, quem vt dixi, terminare debent dicendo *Per Dominum nostrum* &c.

3 Pro Matutinis Defunctorum dicant vigesies quinquies *Pater noster*, & pro Vesperis septies, & in fine cuiuslibet dicant *Requiem æternam dona eis* (vel ei, si officium dicatur pro vno) *Domine. Et lux perpetua luceat eis*. Vltimum autem *Pater noster* terminabunt: *Per Dominum nostrum* &c. *Requiem æternam: & lux* &c. *Requiescant in Pace. Amen*. Incipient vero huiusmodi officium sine *Domine labia* &c. vel *Deus in adiutorium* &c.



RITVS XIII.

Dandi absolutionem generalem in solemnitatibus.

1 VT deuotiùs Domini Nostri Iesu Christi, B. Mariæ Virginis, vel Sanctorum solemnitates à Fratribus celebrentur, (*In offic. SS. Ord. S. August.*) Præsules, Priores, ac Superiores locorum absolutionem generalem, ad arbitrium, & beneplacipum, ipsis impartiri possunt; talisq; ritus erit. Vt completis horis matutinalibus, Fratres omnes genuflexi dicere debeant: *Confiteor Deo* &c. Facta cõfessione erigat se cum stola Prælatus, & sedendo dicat. *Misereatur vestri* &c. *Indulgentiam absolutionem* &c. Postea.

Dominus noster Iesus Christus per suam pijssimam misericordiam, & Sanctissimam Passionem vos absoluat, & ego auctoritate, qua fungor, & quatenus mihi concessa est; Absoluo vos à vinculo excommunicationis maioris, vel minoris, & à participatione cum excommunicatis, & à macula apostasiæ si incurristis, & restituo vos Sanctis Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, si necesse est. In nomine Patris, & Filij &c.


Eadem auctoritate mihi concessa in quantum possum, & debeo dispenso vobiscum super irregularitate, si tenemini, & restituo vos ad executionem, & administrationem Sanctorum Sacramentorum Ecclesiæ, & ad alia. Ab apertis culpis, & à communibus transgressionibus regulæ, & ordinis nostri Dominus Noster Iesus Christus vos absoluat: & ego auctoritate, qua fungor absoluo vos In nomine Patris, & Filij &c. *Do vobis auctoritatem meam, vt vnusquisque vestrum possit sibi eligere Confessorem admissum huius familiæ (* in capitulo generali dicatur, huius nostræ Congregationis*) habentem auctoritatem, à quo infra tres dies valeat absolui ab omnibus peccatis suis, quemadmodum, & à me. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Pro

Pro ſpeciali pœnitentia Sacerdotes dicant ſemel: Laudate Dominum omnes gentes &c. & non Sacerdotes. Pater noſter, & Aue Maria.

2 Aptiùs autem huiuſmodi Generalis abſolutio dabitur à Superioribus in Peruigilio Solemnitatis quàm in Feſto die, vt ſcilicet Fratres ad ſpirituale beneficium ex hac abſolutione capiendum melius ſe diſponere valeant. Nec ita horarum matutinalium limitatur tempus, vt etiam pro libito Superioris, & iuxta opportunitatem non poſſit ad aliud tempus, & alium locum extra chorum transferri, vt melius videbitur expedire.





RITVS XIV.

Fratrem absoluendi à censuris in Foro exteriori, & dispensandi super irregularitate.

1  SEdens Prior, vel auctoritatem habens coram se genuflexum, *(Ritual. Rom.)* & vsque ad camisiam exclusiuè denudatum, virga, aut funiculis leuiter percutit Fratrem pænitentem vinculo excommunicationis innodatum, dicendo totum psalmum: *Miserere mei Deus* &c. cum *Gloria Patri* &c. Deinde surgit, & aperto capite dicit: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster* &c.

℣. *Et ne nos inducas* &c. ℟. *Sed libera nos* &c.
℣. *Saluum fac seruum tuum.* ℟. *Deus meus* &c.
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis* &c.
℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum &c.

Mox sedet, & cooperto capite dicit:

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (Vel Reuerendissimi P. Vicarij Generalis; aut alterius Superioris) mihi comissa. Absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum &c. *Vel causam* &c. *& restituo te communioni, & vnitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris* ✠ *& Filij* &c.

2 Hoc

2 Hoc Ritu vtendum est, quando à Superiore maiori præscripta est forma; scilicet vt in forma Ecclesiæ, vel forma consueta absoluat, quod si nulla forma præscripta est, poterit tamen delegatus pro rei grauitate illa vti; quod si res non fuerit adeo grauis, omissis precibus absoluere poterit dicens: *Dominus Noster Iesus Christus* &c. vt supra.

3 In Absolutione à suspensione, vel ab interdicto sequens formula poterit ritum præscribere; Penitens dicat: *Confiteor* &c. (*In offic. Sanct. Ord.*) Prior, vel Sacerdos: *Misereatur* &c. *Indulgentiam* &c, Postea pro suspensione: *Auctoritate mihi ab N. tradita ego absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi, vel incurrisse declaratus es, ob* &c. (hic exprimat causam) *& restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris* ✠ &c.


4 Pro interdicto hæc erit absolutio.

Auctoritate &c. Ego te absoluo à vinculo Interdicti, quod incurristi (Hic exprimat causam) *& restituo te ingressui Ecclesiæ, ac diuinorum officiorum, ac Sacramentorum participationi. In nomine Patris* ✠, *& Filij* &c.

5 Si absoluens potestatem habeat dispensandi super Irregularitate addere poterit subsequenter.

Et eadem auctoritate dispenso tecum super Irregularitate (vel irregularitatibus si sint plures) quam (vel quas) incurristi (hic exprimat causam) *& restituo te ad actus legitimos, & vt ad sacros ordines promoueri, & promotus in eis ministrare possis. In nomine &c.*





RITVS XV.

Absolutionis generalis in articulo mortis tum Fratribus danda, tum corrigiatis gratiam habentibus à Sanctiss. D.N. Papa.

1 FActa confessione ab aliquo ex assistentibus, & dictis à Sacerdote: (*Off. Sanct. Ordin.*) Misereatur &c. Indulgentiam &c. Subdat: Dominus noster Iesus Christus per suam pijssimam misericordiam te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctissimi Patris, & D. N. Diuina Prouidentia Papæ .N. & S. R. E. in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, in quantum possum, & valeo, & debeo, & mihi permittitur absoluo te ab omni sententia excommunicationis maioris, vel minoris, suspensionis, & interdicti, à participatione cum excommunicatis, & restituo te Sacrosanctis Sacramentis, Ecclesiæ communioni, & vnitati fidelium.

Item eadem auctoritate ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis confessis pariter, & oblitis, & à pęnis omnibus tibi in Purgatorio debitis propter culpas, & offensas, quas contra Deum, te ipsum, & proximum tuum commisisti. In nomine Patris ✠ &c.

Et hoc, si hac, qua egrotas infirmitate moriaris, sin autem salua sit tibi, donec fueris in mortis articulo constitutus. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Forma absolutionis plenissima.

DE plenitudine potestatis Apostolicæ, cuius auctoritatem pro præsenti gero, absoluo te ab omnibus censuris Ecclesiasticis, sententijs, & vinculis excommunicationum, & suspensionum,

num, & interdicti; tam ab homine, quam à iure latis, nec non ab omnibus negligentijs, & defectibus commissis in Sacramentorum administratione, officijs, & actibus tuis, vel nomine tuo factis, supplendo de solita Apostolicæ Sedis clementia omnes defectus eorundem. Aboleo etiam omnem maculam infamiæ, & inhabilitatis vndequaque contractam, dispensoque tecum super omni irregularitate, simonia in ordine, & beneficio, actiuè, vel passiuè quacumque occasione, vel causa, etiam contracta in collatione ordinum, & aliorum Sacramentorum, vel contractis, seu commissis. Restituoque te, & habilito ad statum, famam, honorem, & executionem officiorum Ecclesiasticorum, quorumcumque ad omnes gradus dignitatum, & honorum, ad beneficia Ecclesiastica habita, & habenda, & tibi de his de nouo prouideo, relaxando tibi fructus, quos male percepisti, seu læsa conscientia ex ijsdem, & alia, quæ in ludo ex successione, ac alias ad te peruenerunt, quæ subiacent restitutioni vagæ in forma plenissima. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Pro Corrigiatis autem Pater Spiritualis vti poterit sequenti formula, quæ consimilis est illi, quæ in fine Ritualis Romani pro Confratribus Rosarij impressa conspicitur anno 1652. Et quæ in Libello Corrigiatorum Taurini per extensum legitur, videlicet.

Dicto Confiteor, Misereatur, & Indulgentiam &c. (*Ex Libro Taurini*) Addat Sacerdos. Dominus Noster Iesus Christus filius Dei viui, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque soluendi per suam pijssimam misericordiam te absoluat, & ego auctoritate Apostolica corrigiam ferentibus indulta, & de speciali gratia concessa, & mihi commissa à S. D. N. Eugenio IV. & alijs Summis Pontificibus, & à Gregorio XV. confirmata absoluo te ab omnibus excommunicationibus, & vinculis interdicti, si teneris, in quantum possum, & indiges, & restituo te Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati Fidelium. In nomine &c.

Item eadem auctoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque toto decursu vitæ tuæ, quomodocumque commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus, & quorum memoriam

non habuisti, & non habes vsque in præsentem diem, & restituo te illi innocentiæ, in qua eras quando baptizatus fuisti, ac puritati eidem, in quantum claues Sanctæ Matris Ecclesiæ se extendunt. Remitto tibi etiam pænas Purgatorij, quas propter culpas, & offensas contra Deum, & proximum, & te ipsum commissas incurristi, claudo tibi portas Inferni, ianuam aperio Paradisi, & bona per te facta, & fienda sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ eternæ. Amen.

Et hoc si hac qua egrotas infirmitate morieris, sin autem salua tibi sit, donec fueris in articulo mortis constitutus. In nomine Patris &c.



RITVS XVI.

Depositionis Fratris Defuncti.

1 NON relinquantur agonizantes sine custodia die, ac nocte, donec anima egressa fuerit de corpore, ea omnia peragendo, quæ circa grauiter, & sine spe ægrotantes, pro ipsorum salute exequenda sunt. Cum primum autem Frater è vita migrauerit signum dabitur iuxta locorum consuetudinem modo eo noctis tempore non moriatur, quod non conueniat campanas pulsari; & tunc signum dabitur paulò ante Auroram.

2 Mortuus spolietur, & lauetur ab aliquibus, *(Const. cap. 14.)* quibus Prior iniunxerit reuerenter, & deindè cuculla indutus, & caligis calceatus, & corrigia cinctus ponatur in feretro, si fuerit Sacerdos ad eius collum imponatur stola coloris violacei, & ad pedes missale apertum. Inter manus defuncti figatur crux cum imagine Crucifixi, quæ pectori super ponatur.

3 Deinde conuocatis Fratribus à quatuor eiusdem gradus, & conditionis deferatur feretrum ad Capitulum, vel ad Ecclesiam, si Capitulum non fuerit, præcedente aliquo crucifero; & alio cum vasculo aquæ benedictæ (qua prius quam feretrum eleuetur ad antiphonam *Si iniquitates*, et Psalm. *De profundis*, cadauer erit aspergendum per manus Superioris, vel Hebdomadarij superpellicco, & stola nigri coloris induti), recitando interim omnes grauiori voce Psalmum *Miserere mei Deus*. Deposito feretro, Fratres bini, et bini prout iussi fuerint ipsi cadaueri assistent, donec deferatur ad Ecclesiam, vel si in Ecclesia fuerit donec exequiæ celebrentur, interim recitando preces pro defuncto, et debitum soluendo iuxta statuta congregationis, Clerici nimirum integrum recitando psalterium cum *Requiem*, et laici quingenties *Pater noster*, et *Aue Maria*. Nec vnquam sine luminaribus relinquatur feretrum,

trum, ſed ad minus duo ſint cerei accenſi, vnum ad caput, et aliud ad defuncti pedes.

4 Dum ad Eccleſiam defertur cadauer in ingreſſu Eccleſiæ canitur: *Subuenite Sancti Dei* etc. vt in Rituali Rom. Si fuerit Sacerdos ita feretrum deponatur, vt caput cadaueris maius Altare reſpiciat; Fratribus omnibus cum candelis accenſis adſtantibus Completo reſponſorio dicatur officium defunctorum cum tribus Nocturnis, et Laudibus ſub ritu duplici, deinde (ſi fuerit tempus congruum) miſſa ſolemnis pro ipſo defuncto cantabitur, ſine qua non deberet ſepeliri, et erit potius in ſequentem diem reſeruandum corpus, vt omnes cum miſſa ſepeliantur iuxta canones.

5 Finita miſſa Sacerdos depoſita caſula induit pluuiale nigri coloris, et ſubdiaconus accipit Crucem, et accedit ad feretrum medius inter duos Ceroferarios cum candelabris, et candelis accenſis, comitantibus Fratribus, binis, et binis pariter cum candelis accenſis; et vltimo loco Sacerdos cum Diacono, et Acholitis. Aduertendum autem, quod ſicuti Sacerdotes defuncti pedes habent verſus populum, ita et Celebrans ſiſtere ſe debet ad pedes illius contra Crucem ſubdiaconi, qui eo caſu renes vertit Altari, vt Crux in medio ſit cum Acholitis hinc inde; Fratribus poſt Crucem procedentibus, et feretrum circumdantibus cum cereis accenſis, ita vt minores ſint prope crucem maiores prope celebrantem. Si vero defunctus Sacerdos non fuerit, cum Cruce ſtat ad caput eius verſis humeris portæ Eccleſiæ, et Sacerdos ad pedes contra Crucem. Tunc Sacerdos abſolutè incipit: *Non intres in iudicium* etc. et proſequitur Ritus tumulationis vſq; ad finem modo, quo deſcribitur in Rituali Romano.



RITVS XVII.

Communionis Generalis Fratrum in solemnitatibus.


1 IN solemnitatibus dicto Agnus Dei missæ conuentualis, & data pace, accedunt Fratres ad Altare, *(Cerem. Ord.)* procedentes cum debitis reuerentijs ex vtraque parte hinc inde, vel per latus Euangelij, primo qui sunt in Sacris constituti, secundò Clerici etiam Nouitij, deinde Conuersi. Cum ad Altare peruenerint, qui in primo ordine fuerint, bini simul genuflectunt in plano, ante, vel circa Altare parum ab infimo gradu distantes, sicq; successiuè omnes remanent donec bini ascendant ad Altare sacram communionem accepturi.

2 Sumpto sanguine à Celebrante, ante purificationem Subdiaconus palla tegit calicem, & eum à parte Euangelij intra corporale, & aram consecratam collocat, Diaconus vero extrahit pixidem, ponit in medio corporalis, discooperit cum genuflexionibus solitis, Celebrante, & Subdiacono interim in cornu Euangelij, & alijs circumaltare genuflexis. Post hæc Diaconus descendit in planum per cornu Epistolæ, & profundè inclinatus versus Celebrantem dicit iunctis manibus. *Confiteor* &c. alta voce. Celebrans pixide aperta surgit, & genuflectens paululum se retrahit ad cornu Euangelij, Subdiacono post ipsum stante versa facie ad Altare. Confessione facta dicit Celebrans versus Diaconum. *Misereatur vestri* &c. *Indulgentiam* &c. (semper in plurali) facto super communicandos signo Crucis dextera manu.

3 Interim Ceroferarij, vel duo primi Clerici in supremo Altaris gradu genuflexi conuersa ad inuicem facie linteum à Thuriferario allatum tenent, sustinentes ante pectus vsque ad finem Commu-

munionis, ad quam bini, & bini Fratres accedere debent reuerenter, & deuotè incipiendo à Diacono, & Subdiacono (etiam si adsint Sacerdotes communicandi), & alij per ordinem prosequentes. Post Diaconum, & Subdiaconum communicandi sunt Thuriferarius, & Ceroferarij (interim alij duo tenentes linteum), & omnes post communionem per latus Epistolæ ad chorum tendant, prius adorato Sacramento, vel hinc inde modo, quo venerunt.

4 Omnibus communicatis Sacerdos redit ad Altare, et excussis in pixidem fragmentis genuflectit, et cum Subdiacono se retrahens paululum ad cornu Euangelij manet genuflexus, vt supra, donec Diaconus pixidem reposuerit. Tunc enim Celebrans surgens purificat, et missam complet. Fratres verò, qui sacram communionem perceperunt genibus flexis dicere poterunt orationem: *Deus omnium fidelium Pastor* etc. (*Rub.* 1. *cap.* 10.), aut orationem Dominicam, qui prædictam nescirent, pro conseruatione status Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, tunc enim ex gratia, et concessione Sedis Apostolicæ plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam consequi possunt.



RITVS XVIII.

Benedicendi Panem S. Nicolai de Tolentino, & eo vtendi.

1  Vando proceditur ad panem benedicendum, tunc in primis procedant Ceroferarij, & Thuribularius cũ incenso: deinde Subdiaconus cum Cruce, & Sacerdos cum pluuiali, & Diaconus indutus Dalmatica. *(Missale Sanctorum Ord. S. Augustini)* Fratres verò cum cappis nigris bini, & bini incedant processionaliter, & cantent hymnum in tono, *Vt queant laxis*.

HYMNVS.

Te canunt omnes Nicolae gentes,
Te pij patres, simul atque matres
Voce te laudant pueri canora,
Votaque soluunt.

Efferunt cæci, resonantque muti,
Quos tua cunctos ope liberasti,
Mira decantant tua facta claudi,
Laude perenni.

Eruti per te maris ex periclis,
Quosque tu morbis varijs grauatos,
Mille sanasti, tua dona cuncti,
Magna fatentur.

Quosque vexatos pius expiasti,
Dæmonum dira feritate, quosque
Consequi rursum veteris dedisti,
Lumina vitæ.

Diue, cælestisq; habitator aulæ,
Diue cui tantum tribuunt superni;

Posse,

Posse, quem totum dominator alti,
Auxit olympi.
Laus Patri summo, Genitoq; semper,
Quique procedis Deus ex vtroque,
Spiritus Sancte, Deus vnus idem,
Laus tibi semper. Amen.

2 Cùm autem peruenerint ad locum, vbi panis est benedicendus: tunc Subdiaconus incipiet cantare Epistolam.

Lectio libri Regum.

IN *diebus illis. Factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem, dicens. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te. Surrexit, & abijt in Sarephta. Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei. Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumque illa pergeret, vt afferret, clamauit post tergum eius, dicens: Affer mihi obsecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit. Viuit Dominus Deus tuus: quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululũ olei in lecytho. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait. Noli timere: sed vade, & fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel. Hydria farinæ non deficiet: nec lecythus olei minuetur, vsque in diem in qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ. Et comedit ipse, & illa, & domus eius; Et ex illa die, hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.*

Cantores verò incipiant.

Respexit Elias ad caput suũ subcinericiũ panem, qui surgens comedit, & bibit. Et ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montẽ Dei.

3 Interim Diaconus accipit benedictionem, & cantat Euangelium cum luminaribus, & incenso.

✠ *Sequentia Sancti Euangelij secundùm Ioannem.*

IN *illo tempore: Abijt Iesus trans mare Galileæ, quod est Tiberiadis; & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ facie-*

faciebat super his, qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum Discipulis suis; Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorũ denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: facite homines discumbere. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quãtum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines, cum vidissent quod fecerat Iesus signum, dicebant: quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.

4 Completo Euangelio Sacerdos dicat. ℣. *Dominus vobiscum* &c.

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui benedixisti quinque panes in deserto, multiplica super fideles tuos misericordiam tuæ pietatis, quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua misericordia sperantibus: & bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam panis, quem ad subsidium tuorum fidelium tribuisti, quatenus à quocunque sumptus fuerit bene ✠ dictionis tuæ opulentia repleatur, & gratiarum actione per te in visceribus ipsorum sanctificetur. Per Christum Dominum nostrum &c.

OREMVS.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, sempiterne Deus, qui per potentiam tuam panem istum in forma visibili tribuisti, & magnitudine largitatis tuæ humanis vsibus emanare de segete iussisti, te suppliciter exoramus, vt hunc panem, quem negligentia nostra polluit, Sancti Spiritus gratia ad munditiam reuocet, & sancti ✠ ficet, mundet, ac purifi-

rificet, & turpitudo callidi hostis abscedat, ac familiæ tuæ deinceps cum benedictione comestibilis tribuatur, & comedentiũ mundentur corda, & corpora ipsorum per tuam gratiam sanctificentur. Per Christum &c.

OREMVS.

Precamur Domine Deus, tuæ pietatis clementiam, vt panem istum cælesti benedictione (sanctifices, & ità ex hoc fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incursum, vt quicumque ex hoc comederit, totius virtutis, & sanitatis dulcedine perfruatur, & tibi sanctificatori, ac Saluatori omnium gratias cum gaudio, & lætitia agere mereamur. Per Christum &c.

OREMVS.

Te igitur suppliciter deprecamur, vt bene ✠ dicere, & sanctificare digneris hanc creaturam panis, vt quicunque ex eo gustauerit, per intercessionem dilecti filij tui Nicolai de Tolentino consequatur vitam æternam, & extingue ab omnibus dignè sumentibus, si quid veneni, si quid mortiferæ operationis fuerit, & clementer eos defende. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMVS.

Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, cuius verbo cæli firmati sunt, cui omnia subdita sunt, cui omnis creatura deseruit, & potestas subiecta est, & metuit, & expauescit, nos te ad auxilium prouocamus, cuius audito nomine serpens conquiescit, & Draco fugit; silet Vipera, & omnia venènata, & adhuc fortia animalia reptantia noxia terrentur, & omnes aduersæ salutis humanæ radices arescunt: Te ergo Domine suppliciter deprecamur, vt bene ✠ dicere, & sanctificare digneris hanc creaturam panis, vt quisquis ex hoc comederit, per intercessionem dilecti filij tui Nicolai de Tolentino, vitam æternam consequatur per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

5 Completis omnibus aspergantur, & incensentur: postea fiat distributio; Fratres vero bini, & bini humiliter accedant ad Sacerdotem cum deuotione, & suscipiant panem; Laici vero postea, & istum ponant in aliquo panno linteo mundo cum reuerentia, et deuotione. Interim quod fit distributio populo Sacerdotes, seu Fratres, cantant hymnum Sancti Nicolai in tono. *Vt queant laxis.*

HYM-

HYMNVS.

LAudibus summis celebremus omnes
Regis æterni memoranda dona:
Mentibus lætis modulemus eius.
Grandia facta.
Qui dedit quondam fidei coruscans
Sydus ex altis, oriensque cælis
Sancta quem mundo peperit beatum
Monica Patrem.
Ex suo tè nunc grege procreatum,
Multa post tandem reuoluta sæcla,
Contulit dignum, Nicolaë nobis.
Euis alumnum.
Cuius ingentes, memoresque gestas,
Res queat nemo satis explicare:
Cuius excelsas, celebresque laudes
Nemo referre.
Diue, cælestisque habitator Aulæ,
Diue, qui tantis meritis opimis
Viuis, & gaudens super alta cæli
Astra triumphas.
Laus patri summo, genitoque semper:
Quique procedis Deus ex vtroque,
Spiritus Sancte Deus vnus idem,
Laus tibi semper. Amen.

6 Cantetur postea Antiphona. *Nicolaus verus Christi pauper, Virgo à Deo electus, obedientiam iugiter seruans, Eremitarum Ordinem signis, & virtutibus decorauit.*

℣. *Ora pro nobis Beate Nicolae.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Si fiat ante missam, vel in Quadragesima hæc Benedictio dici tunc debet sequens Oratio.

OREMVS.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt Ecclesia tua, quæ Beati Nicolai Confessoris tui virtutum, & miraculorum gloria coruscat, eius intercessione, & meritis perpetua pace, atque vnitate lætetur. Per

Christum Dominum nostrum. Amen.

Si autem post Missam dicatur.

OREMVS.

Populum tuum Domine, quæ sumpsimus Sacramenta custodiant, vt qui Sãcti Nicolai de Tolentino Confessoris iugiter implorant auxilium, petitionum suarum salutarem consequantur effectum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

7 Si contingat huiusmodi panis benedictionem non solemniter fieri, Sacerdos cum stola panem benedicat incipiendo à prima oratione *Domine Iesu Christe*, & reliquas omnes prosequendo postquam dicet antiphonam *Nicolaus* cum oratione, et aqua benedicta aspergat. Seruetur autem hic panis benedictus cum omni munditia reuerentia, & deuotione, quippe qui vtilis admodum, & mirabilis in multis necessitatibus experitur, vt quotidiana ostendit praxis; & huiusmodi benedictio, laudata, & approbata fuit à Summo Pontifice Eugenio IV. qui Sanctum Nicolaum canonizauit.

8 Modus autem eo vtendi sequens erit. In febribus, alijsque hominum infirmitatibus immergatur aqua, vt mollescat, deinde dictis tribus *Pater noster*, & totidem *Aue Maria* in honorem Trinitatis Sanctissimæ, & *Salue Regina* ad laudem Virginis Mariæ subdatur antiphona S. Nicolai. *Nicolaus verus* &c. cum versiculo, & oratione *Concede*, supra positis. Deinde dicatur.

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui benedixisti quinque panes in deserto, multiplica super fideles tuos in te sperantes tuæ pietatis clementiam, quemadmodum cum dilecto filio tuo Nicolao de Tolentino misericorditer fecisti, & præsta, vt eiusdem meritis, & precibus corda eorum, qui dignè gustauerint ex pane in ipsius honorem benedicto ab omni contagione, ac sorde peccati mundentur, corporis sanentur membra, si quid veneni, aut mortiferæ operationis fuerit extinguatur, languores recedant, perfectaque redeat valetudo, vt tibi denique omnium medico, ac Saluatori perennes rependentes gratias, vitam æternam consequantur. Qui viuis &c.

OREMVS.

Deus, qui Beato Nicolao Tolentinati graui laboranti morbo astitisti, in corporisque medicinam, Gloriosissimæ Virginis Mariæ consilio, panem

aqua

aqua intinctum præstitisti tribue famulo tuo, vt sicuti in panis esu Beatum imitatus est Nicolaum, ita reddita sibi sanitate immensa tuæ pietatis cum eodem magnificator existat; Per Christum &c.

Quibus habitis sumatur cum deuotione ab infirmo panis, vel tumori, seu offensæ parti applicetur ad morbos expellendos, & Deus in Sancto suo laudabitur.

9 Ad aeris tempestates sedandas, proijciatur contra turbines, vel grandines panis, & dicatur antiphona, siue ante, siue post proiectionem *Nicolaus* &c.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, & misericors, parcè metuentibus, propitiare supplicantibus, & da, vt per intercessionem dilecti filij tui Nicolai de Tolentino post noxios nubium, & procellarum ventos, post aeris terrificas agitationes, ac minas in materiam laudis transeat comminatio tempestatis. Per Christum &c.

OREMVS.

Precibus, & meritis Beati Nicolai de Tolentino largiri, & conseruare fructus terræ dignare Domine Deus noster, vt temporalibus gaudeamus auxilijs, & proficiamus spiritualibus incrementis. Amen.

10 Ad Ignis incendia retundenda, iaciatur pariter contra ignem panis, & siue ante, siue post iniectionem, siue eodem tempore dicatur antiphona *Nicolaus* &c. vt supra. Postea.

OREMVS.

Defende Domine Iesu Christe à dira ignis voracitate locum istum, vt omnia, quæ in eo seruantur, meritis, & intercessionibus Beati Nicolai de Tolentino, cuius pane ad vim incendij retundendam in præsentia vsi sumus, intacta, & illæsa permaneant, sitque Deus huius loci habitator, & custos, qui semper foueat, & à quocunque periculo protegat, atque defendat, qui viuis, & regnas &c. Amen.

11 Ad inundationes, et aquarum incursus dicta solita antiphona *Nicolaus* cum cæteris, et proiecto pane subdantur Orationes.

OREMVS.

Domine Deus omnipotens cuius spiritus super aquas ferebatur, supplicationem populi tui clementer exaudi, vt aquarum procellis, & inundationibus per intercessionem Sancti Nicolai de Tolentino repressis, gratiarum tibi perpetuò referamus actiones, dignasque laudes nomini tuo de-

decantarè valeamus. *Per Christum* etc.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulo tuo Nicolao de Tolentino aquam è loco arido per arundinem educendi gratiam contulisti, concede propitius, vt huius Diui precibus aquarum tempestatem euitare valeamus, fructusque terræ ab inundationis incursu inoffensi permaneant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

12 Iumentis etiam, et animalibus irrationabilibus solet magno cum fructu tribui, et tunc post consuetas Orationes, antiphonam, et Orationem, dicitur.

OREMVS.

Misericordiam tuam Domine supplices exoramus, vt hæc animalia, quæ graui infirmitate vexantur, tuæ benedictionis virtute, & intercessionibus dilecti filij tui Nicolai de Tolentino perfecta gaudeant sanitate. Per Christum etc.

13 Tandem in quacunque necessitate, qua vti necesse fuerit benedicto hoc pane, et recitata antiphona cum versiculo, et oratione consuetis subdatur.

OREMVS.

Tribulationem nostram, quæsumus Domine, propitius respice, atque pro nobis Sācto Nicolao de Tolentino exorante iram tuæ indignationis, quam iustè meremur, auerte.

OREMVS.

Subsidijs, & precibus Beati Nicolai de Tolentino Confessoris tui protege Domine famulos tuos, & à cunctis hostibus, & periculis redde securos. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



RITVS XIX.

Orationis Serotinæ, quæ vulgo dicitur Asperges.

1 POst cænam interuallo facto vnius horæ, *(Constit. cap.* 3. *num.* 4.) ad mandatum, & beneplacitum Prioris antequam Fratres pergant dormitum, *(Rubr.* 1. *cap.* 10.) ad sonum campanellæ omnes (nullo excepto) in Ecclesia coram Altari maiore, vel in capitulo congregentur, & ibi genibus flexis aliquantulum mentaliter orent. *(Declar.* 1592. *num.* 4. *& seq.)* Deinde surgat superior, & aqua benedicta eos aspergendo dicat: *Asperges* &c. cum Psalmi versiculo *Miserere* &c. *Gloria* &c. iterum antiphonam repetendo: *Asperges* &c. Vel tempore Paschali: *Vidi aquam*. Postea alta, & clara voce dicat: *Noctem quietam, & finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. ℟. Amen.

2 His habitis in loco proprio genuflectat, & Psalmum incipiat pro felici conseruatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Summi Pontificis pro tempore existentis: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, vt habetur in tertio nocturno Matutini Dominicæ, quem alternatim prosequi debent Fratres vsq; ad finem illum terminando cum *Gloria Patri* &c. Deinde dicat Superior: *Saluum fac seruum tuum*. ℟. *Deus meus sperantem in te*.

℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto*. ℟. *Et da Sion tuere eum*.

℣. *Domine exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus* &c.

℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

ORATIO.

Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum .N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti propitius respice; da ei quæsumus verbo, & exemplo, quibus præest proficere, vt ad vitam vna cum

grege sibi credito perueniat sempiternam. *Per Christum* &c. Amen.

Et hic ritus pro Summo Pontifice orandi quolibet die obseruandus est, ex Apostolicæ enim Sedis concessione, centum annos Indulgentiarum per Leonem Papam X quoties id fecerint singuli consequentur.

3 Præter huiusmodi orationis serotinæ ritum, quem semper Congregatio tenuit, in declarationibus diffinitionum de anno 1592. emanatis, aliæ iuxta dierum hebdomadæ distributionem additæ fuerunt preces, quas ordo sequens demonstrat.

Die Dominico rogent Fratres pro conseruatione Summi Pontificis modo supra explicato nihil aliud hac die addendo; sed peracto Psalmo *Exaudiat* cum oratione: *Deus omnium* &c. orent modicum in silentio pro commendatis, & ad signum Prioris surgant, & ad proprias vadant cellas. Qui ordo in fine orationis serotinæ semper seruandus est.

4 Die Lunæ post commemorationem Summi Pontificis vt supra, pro omnibus orent defunctis dicendo psalmum: *De profundis* &c. cum ℣. & ℞. consuetis, & in fine orationem: *Fidelium Deus omnium conditor* &c.

5 Die Martis post memoriam Pontificis, pro pace, & vnione Principum Christianorum dicendo Psalmum: *Ecce quam bonum, & quam iocundum* &c. qui habetur in Vesperis feriæ V. deinde ℣. *Saluos* &c. ℞. *Deus meus* &c. ℣. *Mitte eis* &c. ℞. *Et de Sion* &c. ℣. *Domine exaudi*. ℞. *Et clamor* &c. ℣. *Dominus vobiscum*. ℞. *Et cum Spiritu tuo*.

ORATIO.

Deus largitor pacis, & amator charitatis; da famulis tuis veram cum tua voluntate concordiam, vt ab omnibus, quæ nos pulsant tentationibus liberemur. Per Christum &c.

6 Die Mercurij peracta commendatione Papæ orent pro Rege, Principe Legato, vel Domino loci. Psalmus erit *Domine in virtute tua lætabitur Rex* &c. qui habetur in tertio Nocturno Dominicæ. ℣. & ℞. vt supra.

ORATIO.

Quæsumus omnipotens Deus, vt famulus tuus. N. Rex noster (mutantur nomina Regis, & Regni in Ducem, & Ducatum, Principem, &

& Principatum &c. iuxta qualitatem Dominorum) *qui tua miseratione suscepit regni gubernacula virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra deuitare, & ad te, quia veritas, & vita es gratiosus valeat peruenire. Per Christum* &c.

7 Die Iouis commendato Pontifice, pro Protectore, & Superioribus ordinis, & Congregationis, pro Episcopo loci, Gubernatore, Prætore, Conseruatore Conuentus, ac pro omnibus Benefactoribus viuis rogent, dicendo psalmum: *Ad te leuaui oculos meos* &c. qui habetur in Vesperis feriæ tertiæ. ℣. & ℟. vt supra.

ORATIO.

Prætende Domine fidelibus famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Christum &c.

8 Die Veneris post commemorationem Papæ orent pro peccatoribus ad pænitentiam venientibus cum psalmo: *Miserere mei Deus* &c. ℣. & ℟. vt supra.

ORATIO.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere suscipe deprecationem nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum &c.

9 Die Sabbati post commendationem Sanctæ Sedis, rogent pro infirmis pauperibus, & tribulatis, & dicant psalmum: *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem* &c. qui habetur in primo Nocturno Matutini Dominicæ ℣. & ℟. vt supra.

ORATIO.

Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere da nobis salutem mentis, & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur te adiuuante vincamus. Per Christum &c. & vt protectione B. Mariæ Virginis coadiuuentur dicatur.

ORATIO.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosæ B. Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum &c.

Hic ordo orandi describatur in tabella quadam lignea, siue schedula pendenti ob oculos in capitulo publicè orantium.


10 Scias tamen, quod in triduo maioris hebdomadæ completis Laudibus currentis officij, Superior in choro accepto aspersorio cum aqua benedicta Fratres aspergit dicens: *Asperges* etc. sine *Gloria Patri*. Et deinde media voce. *Noctem quietam* etc. absque vllo psalmo, vel alia oratione.

11 Mos est etiam in aliquibus Monasterijs post Psalmum *Exaudiat*, et orationem *Deus omnium* etc. antiphonas quotidiè, & orationes addere B. Mariæ Virginis, S. Nicolai de Tolentino, ac S. Thomæ de Villanoua; dicendo nempe pro B. Maria Virg antiph. *Sub tuum præsidium* etc. ℣. *Ora pro nobis* etc. Orat. *Concede nos famulos* etc. Pro S. Nicolao antiph. *Nicolaus verus* etc. ℣. *Ora pro nobis* &c. Orat. *Concede quæsumus* &c. Pro S. Thoma antiph. *Dispersit dedit* &c. ℣. *Ora pro nobis* &c.

ORATIO.

Deus, qui Beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorasti, quæsumus, vt eius intercessione in omnes, qui te deprecantur, diuitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Christum &c.

Qui mos valde laudabilis est, & obseruandus, sicuti etiam ille nonnullorum Conuentuum, qui quotidie orant pro benefactoribus viuis, atq; defunctis cum Psalmis: *Ad te leuaui* &c. *De profundis* &c. Modo descripto in Ritu 21. num. 4. & 5.



RITVS XX.

Disciplinam faciendi in sextis Ferijs.

1 B reuerentiam, (*Constit. cap.* 10. *num.* 5.) deuotionemq; Passionis D. N. I. C. & carnis macerationem omni sexta feria post *Asperges* à Priore datũ, Fratres omnes ad sonum Campanellæ in dormitorium conueniant, & vnusquisq; in cella sua, vel priuato loco disciplinam faciat per spatium trium psalmorum: *Miserere* &c. ad minus, & quinq; ad plus secundum discretionem Prioris, vel eius locum tenentis. Qua completa Superior egrediens de cella stans, signum faciat, ad quod omnes Fratres venientes singuli super limen ostij cellæ suæ genuflectant versis vultibus e regione. Tunc Superior dicat alta voce: *Pater noster*, reliquum in silentio prosequendo. Postea respondentibus Fratribus.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Saluos fac seruos tuos.* ℟. *Deus meus sperantes in te.*
℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

ORATIO.

Deus, cui propitiũ est misereri semper, & parcere suscipe deprecationẽ nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorũ catena constringit miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum &c.

Deinceps aliam orationem Passionis Dñi dicat. (*Declar.* 1592.)

ORATIO.

Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua D. N. I. C. non dubitauit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Per eundem Christum &c. Amen.

Quibus actis in cella se introcludant Fratres, & vadant dormitum.

RITVS XXI.

Agendi de culpis in sextis Ferijs, & benefactores commendandi.

1 RItus frequens erat Congregationis publicè dicendi culpas in capitulo, (*Const. c. 3. num. 2. 3. c. 4. & c. 21.*) & præcipuè sextis ferijs, vbi quilibet Fratrum surgens humiliter, & purè confitebatur culpam suam Priori, vicissim etiam se proclamando; cautum est modo repetitis definitionibus, vt semel saltem in hebdomada, præcipuè sextis ferijs ante prandium de culpis agatur, quod sequenti modo fieri solet. (*1592. Decl. 13. 1619. 12. 1644. 1. 1621. 15.*)

2 Congregatis in Capitulo Fratribus post sonum Campanellæ in loco proprio sedeant, tunc si à Priore sermo habendus est, quod ex officio frequenter facere debet, surgens ipse Prior, & cum eo Fratres omnes, dicat, respondentibus illis.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cęlum, & terram.*

℣. *Benedicite.*

℟. *Deus.*

℣. *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam, & fideliũ animæ per Dei misericordiam requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

3 Deindè iterum cum Fratribus sedendo sermonem habeat iuxta exigentiam, & necessitatem, quo peracto subdat. *Agamus de culpis.* Et tunc omnes genuflectant, & ille, qui pro omnibus culpas recitare debet siuè nouitius sit, siuè Clericus, siuè Sacerdos ad pedes Prioris se prosternat humiliter, purè, & deuotè culpas his verbis confitendo.

Pater Adm. Reuerende dico meam culpam Deo, & Tibi de omnibus vi-

vitijs, & negligentijs meis. In primis, quod Deum toto corde, tota mente, tota anima mea non dilexerim, proximumque meum sicut me ipsum non sim amore prosequutus. Deinde dico meam culpam, quod diuinis officijs diurnis, atq; nocturnis deuotè, & attentè non astiterim mandatis regulæ, & Superiorum non obediuerim, constitutiones, & diffinitiones non obseruauerim, sensus, & potentias meas in Dei seruitio non custodierim, votaq; omnia, & obligationes non adimpleuerim. Denique si aliquem Patrem, vel Fratrem dictis, vel factis offendi dico meam culpam, & peto veniam.

Tunc Prior salutarem singulis imponat penitentiam dicens. *Dicant Sacerdotes pro commissis culpis semel: Laudate Dominum omnes gentes, cum Gloria Patri &c. non Sacerdotes autem semel recitent vnum Pater noster, cum Aue Maria.*

4 His habitis redeat, qui culpam dixit ad locum suum, omnibusq; surrectis, & stantibus, commendet Prior, si qui sunt commendandi, Benefactores tam viuos, quam mortuos, vt pro ipsis Fratres affectuosè orent dicendo: *Retribuere dignare Domine Deus omnibus nobis bona facientibus propter nomen Sanctum tuum vitam æternam.* ℟. *Amen. (Const. cap. 27. num. 7. 8.)* Psal. *Ad te leuaui oculos meos* &c. quo finito in communi cum *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison* dicat Superior: *Pater noster* (totum in silentio cum Fratribus recitando) postea subdat.

℣. *Et ne nos inducas* &c. ℟. *Sed libera nos* &c.

℣. *Saluos fac seruos tuos.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor* &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Prætende Domine fidelibus famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

5 Deinde immediatè pro Defunctis dicatur Psalm. *De profundis cum Requiem æternam* &c.

Postea *Pater noster*.

℣. *Et ne nos inducas* &c. ℟. *Sed libera* &c.

℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorum.*

℣. *Re-*

℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi* &c. ℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; vt indulgentiam, quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

6 Tandem Superior his verbis actionem terminet. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cælum, & terram.* Et omnes bini, & bini ad refectorium tendant. Quod si contingat Priorem ad Fratres nolle sermonem habere, ingressus capitulum cum Fratribus ad locum sedeat, & incipiat ab actione culparum dicendo: *Agamus de culpis*; reliqua vsque ad finem modo explicato prosequendo. Si pariter eueniat Benefactores viuos, vel mortuos non esse commendandos, peracta actione culparum dicat Prior *Adiutorium nostrum* &c. & hoc dicto inclinent se omnes Fratres ad Crucem bini cum silentio, & bini egrediantur.



RI-

RITVS XXII.

Accedendi ad capitulum ante, & post mensam; de benedictione eiusdem, & gratiarum actione.

1 HOra competenti ante prandium, & cœnam audito signo campanellæ omnes Fratres cum silentio intrent capitulum secundi clauſtri (hocq; præſertim in inſignioribus Monaſterijs, & ſaltem ante prandium) *Const. cap.* 21. ibi honeſtè ſedentes, donec ſignum audiuerint à Superiore intrandi refectorium. Tunc ſi quis habet dicere culpam dicat. (1596. 24.). Hinc Prior dato ſigno Fratres introducat in refectorium, qui ad Crucem inclinato capite, bini, et bini ad refectorium ibunt, vbi hinc inde verſis vultibus ordinatè aſtantes ex tunc ad benedictionem menſæ procedant, ſicuti in rubrica de benedictione menſæ poſita in fine Breuiarij Romani per omnia continetur.

2 Peractis pariter prandio, et cæna ad Superioris nutum dicat Lector: *Tu autem Domine miſerere nobis*; et tunc Fratres diſcooperto, et inclinato capite reſpondeant *Deo gratias*. Et ſtatim omnes egrediantur de menſis, et ipſis aſtantibus, ſicut in benedictione menſæ fecerunt, Cantor, ſeu Lector incipiat verſum Gratiarum vſque ad punctum, et Fratres proſequentes communiter totum compleant, ſicut in ordinario continetur. Qualibet autem die in Gratiarum actione poſt prandiũ dicatur Pſal. *Miſerere mei Deus* etc. quo intonato à Lectore ſtatim Fratres omnes verſus capitulum proceſſionaliter euntes (ſaltem, vt dixi in principalioribus Monaſterijs, in alijs namq; poterit dici Pſalmus in ipſo refectorio) alternatim complebunt; et hic pariter omnia, quæ ad Gratiarum actionem ſpectant finem habebunt. In cæna vero loco *Miſerere* dici poterit Pſalmus: *Laudate Dominum omnes* etc. qui item dicetur in

om-

omnibus diebus ieiuniorum, et tunc ad Capitulum ire non est necesse, sicuti nec dum alij Psalmi, dempto *Miserere*, recitantur; vt in Natiuitate Domini: *Cantate Domino* &c. In Epiphania: *Deus iudicium tuum* &c. & sic de alijs.

3 In diebus ieiuniorum ad collationẽ ibunt Fratres facto signo à Superiore, cum magno silentio. Ad propria peruentis loca, stantibusq; omnibus dicat Superior: ℣. *Benedicite*. ℟. *Deus*.
℣. *Collationem seruorum suorum benedicat Christus Rex Angelorum. In nomine Patris* &c. ℟. *Amen*. Et tunc omnes sedebunt ad se reficiendum. Completa refectione, dicat Superior: *Sit nomen Domini benedictum*. ℟. *Ex hoc nunc, & vsque* &c. & statim omnes surgent, & à refectorio exibunt.

4 In priuata mensæ benedictione, & gratiarum actione, hoc breuiori ritu quisquis vti poterit, si in prandio dicatur.
℣. *Benedicite*. ℟. *Benedicite*.
℣. *Oculi omnium in te sperant &c. Gloria Patri &c. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.*

OREMVS.

Benedic Domine Nos (signat se signo Crucis), *& hæc tua dona* ✠ (benedicit mensam) *quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum &c. Amen.*
℣. *Iube Domne benedicere.*
℟. *Mensæ cælestis participes faciat Nos Rex æternæ gloriæ. Amen.*

Tunc minor omnium dicet: *In nomine Domini Nostri Iesu Christi benedicti. Amen. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.*

5 In cęna dicto: *Benedicite*; subditur. ℣. *Edent pauperes, & saturabuntur* &c. Reliqua, vt in prandio præter benedictionem, quæ erit.
℣. *Iube Domne benedicere.*
℟. *Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ. Amen.*
In nomine Domini Nostri Iesu Christi &c. vt supra.
Verùm in Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, Epiphania, Triduo hebdomadæ maĩ. Paschate, Ascensione, & Pentecoste, loco versiculorum: *Oculi omnium* &c. *Edent pauperes* etc. dicendi

sunt

ſunt verſiculi harum ſolemnitatum proprij, quique in fine Breuiarij ponuntur.

6 Pro gratiarum actione in fine prandij, et cœnæ dicere debemus.

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.*


OREMVS.

Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

℣. *Fidelium animæ &c.*

Deinde ℣. *Dominus det nobis ſuam pacem. Amen.*



RITVS XXIII.

Legendi in prima, & secunda mensa.

1 QVia in regula dicitur: *cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite; (Rub. 8. cap. 4.)* discreta legendi in mensa consuetudo seruanda est, quod vbi fuerint octo Fratres ad minus in mensa sedentes, et duo extra mensam, vnus videlicet legens, et alter seruiens, per totum prandium, et cœnam, donec inde surgatur, *(Const. cap. 21.)* primo latinè, postea in fine lingua vulgari ad arbitrium Prioris, de Biblijs maximè, siuè alijs libris Sanctorum, semper legatur. Cui lectioni omnes cum silentio summo intendere debent, nec panem discooperire donec primò lectio incipiatur, et signum à Priore fiat. Vbi autem non fuerint octo Fratres huiusmodi, sufficiet legere parum in principio, et parum circa finem, sicut discretioni Prioris videbitur expedire.

2 Ritus autem legendi huiusmodi erit, vt in Sabbati refectione vespertina, legi, vel cantari (vt moris est) incipiatur liber ille scripturæ sacræ, qui in sequenti Dominico die ponitur in Matutinis; qui liber in prima lectione mensæ prosequendus erit tam in prandio, quam in cœna vsq; ad feriam sextam exclusiuè. Feria verò sexta legi debet Regula tota Sancti P. N. Augustini, et in prandio Sabbati, vel expositio ipsius Regulę, vel definitiones Congregationis ad arbitrium Superioris. In sero ieiuniorum nihil legitur, saltem in principio refectionis.

3 Verum ab hoc ordinario ritu sequentes excipiuntur dies Dominica Palmarum, in cuius prandio legitur sine cantu. *Passio D. N. I. C. S. Matthæum*, prout describitur in Missali; in cęna vero cantatur de Ieremia Propheta cap. 2. *Obstupescite cęli* etc. quæ ponitur in Matutinis eiusdem diei. F. 2. mai. hebd. pariter cantatur de Iere-

Ieremia Propheta cap. 11. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea* &c. vt legitur in matutinis feriæ tertiæ eiusdem hebdomadæ. Feria tertia legitur *Passio D. N. I. C. secundùm Marcum*, vt iacet in missali. Feria quarta *Passio D. N. I. C. secundùm Lucam*. Feria quinta Euangelium illius diei Io. 13. *Ante sex dies* &c. sed legi debet in Biblijs, vt lectio possit protrahi etiam ad sequentia adlibitum superioris. Feria sexta in Parasceue *Passio D. N. I. C. secundũ Ioannem*. Sabbato verò canitur Euangelium: *Vespere autem Sabbati*; & post illud legitur regula S. P. N. Augustini.

4 Sic in die sancto Pascatis lectio in prandio erit Euangelium illius diei: *Maria Magdalenæ* &c. Marc. 11. quod cantabitur in tono mensæ. In cœna verò erit de Epistola prima B. Pauli Apost. ad Corint. cap. 5. *Expurgate vetus fermentum* &c. Hæc autem lectio, sicut, & aliæ omnes huius generis, legi debet cum in Missali, sed in Biblijs, vt diuturnior, si opus fuerit, protrahatur. Feria secunda in prandio erit Euangelium diei: *duo ex discipulis Iesu* &c. Luc. 24. In cœna de actibus Apost. de cap. 10. *Stans Petrus in medio plebis* &c. Fer. tertia in prandio Euangelium: *Stetit Iesus in medio* &c. Luc. 24. in cœna de act. Apost. de cap. 13 *Surgens Paulus, & manu silentium* &c. Feria quarta in prandio Euangelium: *Manifestauit se iterum Iesus* &c. Io. 21. in cœna de act. Apost. de cap. 3. *Aperiens Petrus os suum* &c. Feria quinta in prandio Euangel. *Maria stabat ad monumentum* &c. Io. 20. in cœna de act. Apost. cap. 8. *Angelus Domini locutus est ad Philippum* &c. Fer. 6. in prandio Regula S. P. N. Augustini; in sero autem (nisi sit ieiunium) de Epist. 1. B. Petri Apost. de cap. 3. *Christus semel pro peccatis* &c. Sabbato in prandio expositio regulæ, vel definitiones; in sero autem incipietur liber actuum Apost. qui ponitur in feria 2. post Dom. in Albis, & de eo legetur vsque ad statutum tempus.

5 Idem ordo seruabitur in tota octaua Pentecostes, vt in ipsa die Pentec. cantetur Euangelium in tono mensæ: *Si quis diligit me* &c. Io. 14. in cœna de act. Apost. cap. 2. *Cum complerentur* &c. Feria secunda in prandio Euangelium: *Dixit Iesus Nicodemo* &c. Io. 3. in cœna de act. Apost. de cap. 10. *Aperiens Petrus os suum* &c. Fer. tertia in prandio Euangel. *Dixit Iesus Fariseis amen amen* &c. Io. 10. in cœna de act. Apost. cap. 8. *Cum audissent Apostoli*

&c. Fer. 4. Euang. *Dixit Iesus turbis nemo potest venire* etc. Io. 6. Cum autem hac die sit ieiunium, si breue videbitur Euangelium, addi poterit de act. Apost. de cap. 2. *Stans Petrus cum vndecim* &c. Fer. 5. in prandio Euangel. *Conuocatis Iesus duodecim, Philippus descendens* etc. Fer. 6., vt de more, Regula S. P. N. Augustini, et Sabbato Expositio, vel definitiones. Dominica autem Trinitatis incipiendus est liber primus Regum.

6 In Natiuitate pariter D.N.I.C. hic ordo erit lectionis mensæ, vt ipsa Natiuitatis die cantentur in prandio, et cœna lectiones primi nocturni ex Isaia cap. 9. *Primo tempore alleuiata* etc. *& cap.*40. *Consolamini, consolamini* etc. In festo S. Stephani de act. Apost. cap. 6. *In diebus illis crescente numero discipulorum* etc. In die S Io. Apost. et Euang. Epistola prima S. Io. Apost. cap. 1. *Quod fuit ab initio* etc. In festo SS. Innocent. de Ieremia Proph. cap. 31. *Hæc dicit Dominus vox in excelso* etc. Deinde initium erit Epistolæ B. Pauli Apost. ad Romanos, vt in ordine Breuiarij.

7 Alij adsunt dies festus priuilegiati, in quibus peculiares cantari poterunt lectiones, vt in Epiphania Domini de Isaia Prof. cap. 55. *omnes sitientes* etc. et cap. 60. *Surge illuminare Ierusalem* etc. In Ascensione Domini, Principium libri actuum Apost. *Primum quidem* etc. In festo corporis Christi, de Epistola prima B. Pauli Apostoli ad Corinthos cap. 11, *Conuenientibus vobis in vnum* etc. In Assumptione B. M. V. initium Cantici canticorum: *Osculetur me osculo* etc. In festo omnium Sanctorum, ex lib. Apocal. B. Ioannis Apost. cap. 4. *Et ecce sedes posita erat in cælo* etc. et etiam in solemnitate S. P. N. Augustini, de libro Ecclesiastici cap. 59. *Ecce Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit* etc.

8 Talis itaq; erit legendi, seu cantandi ritus in prima mensa; in secunda namque vsq; ad finem mensæ legendi sunt sine cantu libri spirituales italica lingua conscripti, puta de vitis Sanctorum: (1596. 24. 1619. 12. 1621. 15.) de vitis P[illegible]. B. Iordani de Saxonia: de mundi vanitate: de exercitijs religiosi: de oratione, et consimiles; et in triduo maioris hebdomadæ de Passione Christi: de Dei misericordia etc. et interdum pro libito superioris legendæ sunt definitiones Congregationis ad præscriptum legum nostrarũ. Hæc autem lectio secundæ mensæ durare debet vsq; ad finem, ita

vt

vt statim lectione terminata ad nutum Prioris dicatur: *Tu autem* etc. (*Const. cap.* 21.)

9 Præter Superius dicta aliqua sunt decreta à Summis Pontificibus edita, quæ in communi mensa, vel Capitulo Conuentus semel, vel bis in anno legenda sunt. Et

Primò Decretum Sanctæ Inquisitionis Vrbani VIII. incipit: *Sanctiss. Dominus noster sedulo incumbens* etc. Fer. 6. post oct. Assumptionis B. M. V. vel saltem in mense Augusti.

Secundò Decretum de Largitione munerum Clement. VIII. incipit *Religiosæ Congregationes*; cum declarat Vrbani VIII. *Nuper à Congregatione* etc. semel saltem in anno videlicet mense Ianuarij.

Tertiò Decretum de celebratione Missarũ. Vrbani VIII. incipit: *Cum sæpe contingat* etc. Fer. 2. post Dom. 1. Aduentus, et Fer. 6. post oct. corporis Christi; Vel saltem in vno ex decem sequentibus diebus.

4 Decreta Sacr. Congreg. sub Vrbano VIII. de Apostatis, et eiectis; incipiunt: *Sacra Congregatio* etc. bis in anno pro libito Superiorum.



RITVS XXIV.

Itinerarij Fratrum.



1 CVM Fratres debent aliquò ire die sequenti non reuersuri accedant ante altare maius, & positis genibus dicant Psal. *Beati immaculati in via* &c. *(Const. cap.9.nu.5.& 6.)* vsq; *Retribue*; cum *Gloria Patri* &c. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.* Totum.

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.*

℣. *Saluos fac seruos tuos.* ℟. *Deus meus &c.*

℣. *Mitte eis Domine &c.* ℟. *Et de Sion &c.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & viam famulorũ tuorũ in salutis tuæ prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Christum &c. Amen.

2 Cum verò redierint positis genibus ante maius Altare dicant Psal. *Leuaui oculos meos* &c. cum *Gloria Patri* &c. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.* Totum.

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.*

℣. *Saluos fac seruos tuos &c.* cum alijs versiculis vt supra.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus miserere his famulis tuis, & quidquid eis in via surripuit visus, auditus, vel cogitatus malæ rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate absterge. Per Christum &c.

3 Ritus hic itinerarium recitandi ex constitutionibus desumitur. Aliud in Breuiario Romano repetitur pro Clericis Itinerarium, quo pariter ad placitum vti poterunt Fratres Congregationis cum quisque præ manibus illud habere possit, nec propterea opus sit in hoc Rituali transcribere.

RI-

RITVS XXV.

Induendi mantellatum, vel mantellatam.

1 Ongregatis Patribus in Capitulo, vel Sacristia. (*Compend. Priuileg.*) P. Prior cum alba stola in medio sedens ad ipsius pedes ducere faciet deuotum illũ, qui mantu S. P. Augustini vestiri cupit; & dicto ℣. *Adiutorium* &c. *Quifecit* &c. obligationes, ac debita legat, quibus mantellati, & mantellatæ Cõgregationi nostrę adstringuntur, scilicet semper deferendi cinturam, quotidiè recitandi tredecim *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, cum *Salue Regina* in honorem D. N. I. C., Sanctorum Apostolorum, ac Beatissimæ Virginis consolationis, & pro felici conseruatione S. Matris Ecclesiæ, sæpè confitendi peccata sua, & communicandi præcipuè in solemnioribus diebus, nec non in festis Sanctorum Patris Augustini, Monicæ, Nicolai de Tolentino, ac Thomæ de Villa noua; item in quartis Dominicis mensis, & die processionis generalis cincturatorum; interueniendi ad processiones diebus solitis, & indulgentias acquirendi, ieiunandi in Vigilia S. P. Augustini; in morte cuiuscumque Fratris sex *Pater noster*, & sex *Aue Maria* cum *Gloria Patri* recitandi, exemplum bonorum operum præbendi &c. Quod si promiserit omnia obseruare, tunc P. Prior pallium, vel Mantum benedicet dicens.

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissimè persolutor, qui vestimentum salutis, & indumentum iocunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam humiliter exposcimus, vt hoc indumentum mortificationem corporis, & contemptum mundi significans propitius benedicas, ✠ & quem vestibus Confraternitatis nostræ induere volumus, beata facias immortalitate vestiri. Per Christum &c.

 2 As-

2 Aspergatur deinde pallium aqua benedicta. Postea si deuotus ille, vel deuota ex numero non fuerit corrigiatorum, ac consequenter cinctura benedicta canonicè præcinctus, etiam cinctura benedicatur dicendo.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne, & misericors Deus, qui pietatis tuæ peccatoribus misericordiam quærentibus veniam, & misericordiam tribuis, oramus immensam clementiam tuam, vt hanc corrigiam benedicere, ✠ sanctificare digneris, vt omnis persona, quæ pro peccatis suis illa præcincta fuerit, atq; eam portauerit, gratiam tibi continentiam, mandatorumq; tuorum obedientiam seruet; & intercedentibus B. M. semper Virgine, Beatoq; Patre Augustino, atq; Matre Monica veniam peccatorum suorum obtineat, & vitam consequatur æternam. Per Christum &c. *Amen.*

OREMVS.

Precamur te Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, vt hanc corrigiam in signũ puritatis benedicas ✠ ad restringendos lumbos, & renes, & voluntatem sub tua lege comprimendam, vt quicunq; illam deuotionis studio semper portauerit, misericordiam tuam implorauerit, veniam, & indulgentiam tuæ sanctissimæ misericordiæ consequatur. Per Christum &c. *Amen.*

Postea aspergatur corrigia aqua benedicta, quam manibus accipiens P. Prior, ei præcinget personam dicens.

Accipe corrigiam super lumbos tuos, vt sint lumbi tui præcincti in signum castitatis, & temperantiæ. In nomine Patris, & filij &c.

3 Si autem cincturatorum Confraternitati persona hæc aggregata fuerit, omnibus omissis, quæ circa corrigiam præstantur, post pallij, seu mantus benedictionem, illum super humerum personæ imponet his verbis.

Accipe pallium nigrum in signum pęnitentiæ, & mortificationis, vt in nostra Fraternitate Deo viuas. In nomine Patris &c.

Ex inde ei porriget paruam crucem in manu subdens.

Accipe crucem, vt post Saluatorem ad cęlestia regna per ipsam peruenire merearis. In nomine Patris &c. *Amen.*

4 His habitis, omnibus genuflexis dicantur Litaniæ.

Ky-

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.	
Christe audi nos	
Christe exaudi nos	
Pater de cælis Deus	miserere nobis
Fili redemptor mundi Deus	miserere
Spiritus Sancte Deus	miserere
Sancta Trinitas vnus Deus	miserere
Sancta Maria	ora pro eo, vel ea
Sancta Dei genitrix	ora
Sancta Virgo Virginum	ora
Mater Christi	ora
Mater Consolationis	ora
Mater Clementissima	ora
Virgo Sanctissima	ora
Virgo Castissima	ora
Speculum sine macula	ora
Domus Sapientiæ	ora
Porta Cæli	ora
Ciuitas refugij	ora
Causa nostræ lætitiæ	ora
Salus in te confidentium	ora
Auxilium Christianorum	ora
Consolatrix afflictorum	ora
Regina Sanctorum omnium	ora
Propitius esto semper ei Domine	libera eum Domine
Ab omni malo	libera
Ab omni peccato	libera
Ab omni spiritu impuritatis	libera
A transgressione mandatorum Dei	libera
Ab insidijs Diaboli	libera
A peste, fame, & bello	libera
A cunctis periculis	libera
Per immaculatam Conceptionem tuam	libera
Per Sanctam Natiuitatem tuam	libera
Per venerabilem Præsentationem tuam	libera
Per admirabilem Annuntiationem tuam	libera

Per mundissimam Purificationem tuam *libera*
Per gloriosissimam Assumptionem tuam *libera*
Peccatores *te rogamus audi nos*
Vt Ecclesiæ Sanctæ, cunctoq; populo Christiano simul cum isto famulo tuo pacem, & veram concordiam impetrare digneris *te rogamus*
Vt omnes societates, & confraternitates tibi peculiari obsequio deuotas cõnseruare, & augere digneris *te rogamus*
Vt fidei, spei, & charitatis augmentum famulo tuo, ac nobis impetrare digneris *te rogamus*
Vt animã huius, ac nostras, Fratrũ, Sororũ, Propinquorũ, & Benefactorũ nostrorum ab æterna damnatione eripi impetrare digneris te rogamus
Vt hunc famulum tuum nobis associatum, ad salutem mentis, & corporis custodire digneris *te rogamus*
Vt ad salutem æternã per bona opera eum perducere digneris te rogamus
Vt omnibus defunctis requiem æternam impetrare digneris te rogamus
℣. *Ora pro eo Sancta Mater Consolationis.*
℞. *Vt dignus efficiatur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro eo B. Pater Augustine.*
℞. *Vt dignus efficiatur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro eo B. Mater Monica.*
℞. *Vt dignus efficiatur promissionibus Christi.*

Tunc Superior surgens dicat

OREMVS.

Defende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine, B. Patre nostro Augustino, atq; Matre Monica intercedentibus istum ab omni aduersitate Fratarnitati nostræ aggregatum, & toto corde tibi prostratum ab hostium propitius tuere clementer insidijs. Per Christum &c.

5. Deinde si per literas patentes Patris Vicarij Generalis fuerit hæc persona Congregationi aggregata, Pater Superior ei dictas literas porrigens dicet: *Accipe literas Reu. Patris nostri Vicarij Generalis auctoritate, cuius, & virtute prædictarum literarum aggrego te ad societatẽ, & Fraternitatem Congregationis nostræ, & comparticipem te facio Indulgentiarum, ac aliorum omnium bonorum spiritualiũ Congregationis nostræ. In nomine Patris* &c.

Tandem aspergat aqua benedicta, & benedicens subdet.

Benedictio Dei omnipotentis descendat super te, & maneat semper.

RI-

RITVS XXVI.

Induendi Pizzocheras.

Benedictio Corrigiæ.

1 PRior dicat ℣. *Adiutorium* &c. ℟. *Qui fecit* &c.
℣. *Domine exaudi* &c. ℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*
(Compend. Priuileg. Bonon. & Veron.

OREMVS.

Omnipotens, sempiterne, & misericors Deus, qui pietatis tuæ misericordiam peccatoribus quærentibus veniam, & misericordiam tribuisti, oramus immensam clementiam tuam, vt has corrigias benedicere, & sancti ✠ ficare digneris, vt quæcumq; pro peccatis suis cinctæ fuerint, & misericordiam tuam implorauerint, veniam, & indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio Veli.

Benedic quæsumus Domine Velamina ista famulæ tuæ capiti imponenda: vt in ea bene ✠ dictio tuæ benignitatis descendat, vt sit in ea sanctitas, castitas, virtus, & victoria, sanctimonia, humilitas, bonitas, & mansuetudo legis, plenitudo obedientiæ; Dei, & Patris, & Filij, & Spiritus Sancti adsit semper bene ✠ dictio. Per Christum Dominum &c.

Benedictio Clamidis.

Deus, qui vestimentum singulare ad indumentum æternæ iocunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ in sancto, ac firmo proposito vestiri desiderant, propitius bene ✠ dicas, & castitatis habitum, quem te inspirante suscipiunt, te protegente custodiant, vt quas venerandis professionis vestibus induis temporaliter, beata facias immortalitate vesti . Per Dominum nostrum &c.

ORE-

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis dignatus es induere, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad humilitatis inditium ferre sanxerunt; ita bene ✠ dicere digneris, vt hæ famulæ tuæ, quæ eo vsæ fuerint, te induere mereantur. Qui viuis &c.

Benedictio Coronæ.

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui Discipulos orare docuisti, suscipe quæsumus benedicendo orationes famularum tuarum, vt illarum oratio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Qui viuis &c.

Completa benedictione asperguntur tàm vestimenta, quàm ipsæ Mulieres.

Postea exuendo dicitur sequens

ORATIO.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis, & renouato spiritu mentis tuæ, induat te nouum hominem, qui secundũ Deũ creatus es in iustitia, & Sanctitate veritatis. In Christo Iesu Domino nostro.

Postea dicuntur orationes sequentes.

Adesto Domine supplicationibus nostris, vt has famulas tuas bene ✠ dicere digneris, quibus in tuo nomine habitum Sanctæ Religionis imponimus, vt te largiente deuotè in Religione persistant. Per Dominum nostrum &c.

ORATIO.

Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nullum bonum inchoatur, nullumq; bonum perficitur: adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures; Et has famulas tuas, quibus in tuo Sancto nomine Religionis habitum imponimus, à mundi impedimento, & seculari desiderio defende, & concede eis in hoc sancto proposito deuotè persistere, vt remissione peccatorum percepta, ad Electorum tuorum valeant peruenire consortium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

¶ Deinde cingitur vnusquisque corrigia dicendo.

Accipe corrigiam super lumbos tuos: vt sint lumbi tui præcincti in signum castitatis, & temperantiæ. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Po-

Poſtea diſtribuat candelas Sororibus dicendo.

Et ſit lucerna ardens in manibus veſtris in ſignum pudicitiæ, & honeſtatis. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Cum ponitur Velamen album dicitur.

Accipe Velum ſuper caput tuum, in ſignum obedientiæ, munditiæ, & puritatis. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Induendo Clamidem dicitur.

Accipe Clamidem nigram in ſignum pęnitentiæ, & mortificationis: vt mortua mundo, Deo viuas. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Cum datur Corona dicitur.

Nunc accipe ſignum orationis in manibus tuis; vt more contemplantium contempta fœlicitate terrena, & præſentem vitam habeas in pęnitentia, & in deſiderio futuram: cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus Sancti. Amen.

Cantatur deinde.

Veni creator Spritus. Totus vt ritu ſequenti.

℣. *Emitte Spiritum tuum &c.* ℟. *Et renouabis &c.*

℣. *Poſt partum &c.* ℟. *Dei genitrix &c.*

℣. *Ora pro nobis B. Pater Auguſtine.*

℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Christi.*

℣. *Ora pro nobis B. Mater Monica.*

℟. *Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*

℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum &c. In vnitate eiuſdem ſpiritus &c.

Concede nos famulos tuos quæſumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum &c

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciã ſpe-

ſperandæ pietatis indulgẽs, intercedente B. Patre noſtro Auguſtino Confeſſore tuo, atq; Pontifice, conſueta miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum &c.

Deus mærentium conſolator, & in te ſperantium ſalus, qui B. Monicæ pias lacrimas in conuerſione dilectiſſimi filij ſui Auguſtini, miſericorditer ſuſcepiſti: da nobis vtriuſque interuentus peccata noſtra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam inuenire. Per Dominum &c.

Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cæleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant conſequi mereantur. Per Dominum &c.

His finitis: Prior porrigendo librum in earum manibus dicat eis.


Promittitis vos ſeruare obedientiam, & viuere ſecundum vitam, & ordinationem Dominarum veſtrarum.

Si promittunt, tunc Prior ſubiungit dicens.

Dominus, qui cæpit in vobis opus bonum, ipſe perficiat ad augmentum gratiæ, & gloriæ, meritis Beatiſſimi Patris noſtri Auguſtini, eiuſque deuotiſſimæ Matris Monicæ. Amen.

Et ego auctoritate Patris noſtri Reuerendiſſimi Vicarij Generalis, qua fungor, indultuq; Apoſtolico mihi commiſſo, vos recipio, atque accepto, & participes omnium bonorum, quæ fiunt per totam Congregationem noſtram conſtituo. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus✠Sancti. Amen.

Ite in Pace.



RI-

RITVS XXVII.

Erigendi, & fundandi Societatem Cinturatorum in Ecclesijs sæcularibus.

1 T vniformis circa fundationem, & erectionem societatis Cincturatorum extra Religionis nostræ Ecclesias teneatur Ritus, modum hic apponere statui, illi consimilem, quo Ordinis Prædicatorum Patres in erectione Confraternitatis Rosarij passim vtuntur, vtpotè cæteris omnibus perfectiorem, & calculis omnibus adæquatum.

2 Habitis instantijs pro Cõfraternitatis erectione à Parocho, vel Rectore illius Ecclesiæ, in qua societas est fundanda, imò & à loci Communitate, si opus fuerit, Priori Conuentus Ciuitatis, vel loci in cuius Diœcesi, vel districtus Ecclesia illa fuerit, vel saltem Priori Conuentus vicinioribus factis. Tunc idem Prior, vel alius ex grauioribus Patribus de eius commissione ad locum, cum plenaria facultate societatem erigendi se transferat, cui Prior huiusmodi literas consignabit.

Nos Frater N. de N. Prior Conuentus S. N. Ordinis Eremitarum S. August. Congr. Obs. Lomb. dilecto filio R. P. A. de B. eiusdem Ordinis, & instituti in Domino salutem.

Requisiti instanter fuimus à R. Rectore, & alijs multis loci de A. vt societatem Cincturatorum Beatissimæ Virginis Mariæ Consolationis, & S. M. Monicæ in Ecclesia S. N. dictæ terræ, vel loci A. Diœcesis B. erigere, plantare, & instituere vellemus. Nos autem eorum supplicationibus nobis porrectis inclinati, & informati dictam terram nullam aliam habere huiusmodi societatem, deuotionem ipsorum commendantes, Tibi R. P. Fr. N. præfato committimus, vt nostra auctoritate Tibi hac vice tantùm specialiter collata, dictam sodalitatem Cincturatorum in prædicta Ecclesia S. N. Terræ L. loci A. media prædicatione instituas,

plan-

plantes, & erigas, omnes vtriusq; sexus personas in eam ingredi deuotè petentes recipias, & in libro ad hoc deputato scribas, corrigias benedicas, orandi ritum explices, & suadeas; omnia denique, & singula facias, quæ per nostri Ordinis Fratres in nostris Ecclesijs ad id deputatos fieri solent, & possunt; Poterisq; aliquem idoneum R. Sacerdotem deputare supra erectam societatem cum facultate scribendi, benedicendi, & recipiendi Confratres. Quos admonebis, quod si contigerit aliquando Fratres nostros Ecclesiam habere in dicto loco A. ipso facto absq; alia declaratione ad nostram Ecclesiam ipsa societas cum omnibus bonis suis spiritualibus, & temporalibus statim deuoluetur; Tenebunturque se regere iuxta ordines, & statuta Archiconfraternitatis Sanctissimæ Virg. Consolationis in Ecclesia S. Iacobi Bononiæ erectæ; & vlterius quam primum à Reuerendiss. Patre Generali aggregationem præfatæ Archiconfraternitati per Ad. R. P. Procuratorem Generalem nostrum obtinere, qua mediante omnibus gratijs, & indulgentijs gaudebunt. eidem Archiconfraternitati concessis. In nomine Patris &c. In quorum fidem his sigillo nostri Conuentus S. N. munitis manu propria subscripsimus.

Dat. die mensis anni

F. N. de N. Prior qui supra manu propria.

3 Ad designatum locum cum literis patentibus Pater qui supra peruentus, congregato in Ecclesia populo, hora opportuna, de excellentia huius sodalitatis, gratijs, indultis, indulgentijs, priuilegijs, Confratrum obligationibus &c. sermonem habebit; quibus peractis coram Altari: *Veni Creator spiritus* intonanabit, quem cæteri prosequentur. Deinde dictis consuetis versiculis, & oratione; Item antiphona B. Mariæ Virginis. *Sub tuum præsidium*, cum versiculo: *ora pro nobis* &c. & oratione: *Concede nos famulos tuos* &c. & vlterius pro S. Matre Monica. *Augustini mater deuotissima, quem carne prius pepereat mundo, charitatis visceribus postmodum multo semine lachrymarum genuit Christo.* ℣. *Ora pro nobis* &c. ℟. *Vt digni* &c.

OREMVS.

Deus mærentium consolator, & in te sperantium salus, qui B. Monicæ pias lacrymas in conuersione filij sui Augustini misericorditer suscepisti da nobis vtriusq; interuentu peccata nostra deplorare, & misericordiæ tuæ gratiam inuenire. Per Christum &c.

4 Ad populum versus facultatem, & auctoritatē sibi concessam

cum

cum omnibus clausulis, & conditionibus in literis contentis explicabit; quæ omnia si populus acceptauerit, tunc alta, & intelligibili voce pronuntiabit.

Ego F. A. de B. Ordinis &c. auctoritate mihi commissa ab Ad. R. P. N. de N. Priore Conuentus S. N. de L. in cuius Diœcesi sita est præsens Ecclesia, instituo, erigo, & planto societatem Corrigiatorum Sanctissimæ Virginis Mariæ Consolationis, & S. Matris Monicæ in hac Ecclesia Sancti N. loci N. ad Altare Sancti B. (hic nominabit Altare, cui societas est vnienda) *eamque institutam, erectam, & plantatam declaro cum omnibus gratijs, priuilegijs, & indulgentijs, quibus huiusmodi societates potiri, frui, & gaudere solent, postquam à Reuerendissimo P. Generali aggregationem Bononiensi Archiconfraternitati obtinuerit. Ad laudem, & honorem Omnipotentis Dei, Beatæ semper Virginis Mariæ Consolationis Reginæ, ac B. Patris Augustini, & S. Matris Monicæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, ad animarumque salutem. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

5 His completis per Notarij manus documentum conficere curabit, in quo huiusmodi fundationis actio à principio ad finem cum literis patentibus, clausulis, & conditionibus supra expositis diligenter describatur. Exinde benedicat corrigias, si quæ sunt benedicendæ, lumbos petentium præcingat, omnesque in libro scribere faciat, & demum, vel Rectorem pro tempore, vel alium idoneum Presbyterum designet, qui imposterum societati fideles aggreget, & in libro scribat tanquam Confraternitatis custos, & tandem: *Te Deum laudamus* genuflexus cum alijs cantabit, vel recitabit, & in fine ℣. *Saluos fac seruos tuos* &c. *Domine exaudi* &c. *Dominus vobiscum* &c.

OREMVS.

Defende quæsumus Domine B. Maria semper Virgine intercedente istam ab omni aduersitate societatem toto corde tibi prostratam, & ab hostium propitius tuere clementer insidijs.


Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra Oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.


Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro vniuersis beneficijs tuis, qui

qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea benedicat populum dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris, Filij, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.*

6 Sciendum denique, quod si Prior ipse Conuentus personaliter ad fundandam societatem perrexerit absque literis patentibus ibit, sed nihilominus clausulas omnes, conditiones, & circumstantias in ipsis literis supra exaratis contentas populo manifestabit, & in instrumento manu Notarij confecto describere diligenter curet ad rei perpetuæ memoriam, ijs tantum omissis, quæ præcisam Prioris commissionem concernunt. Sic in ipsa societatis erectione præstabit dicens: *Ego Fr. N. Prior &c. in cuius Diœcesi sita est præsens Ecclesia nomine Reuerendissimi &c.* In reliquis omnia seruando, quæ supra explicata sunt.





RITVS XXVIII.

Recipiendi aliquem, & aggregandi Confraternitati Cincturatorum.

1 ETsi passim hic Ritus in libellis sacræ Cincturæ italica descriptis lingua inueniatur, *(Ex libro Cinct. Bonon. & Veronæ)* inutile non erit tamen hic illum reponere, vt faciliùs præ manibus habeatur. In primis igitur Pater Custos varias faciat interrogationes ijs, qui sanctam Confraternitatem ingredi cupiunt, putà an velint recipi in Societate Cincturatorum D. N. I. C., Gloriosæ Virginis Mariæ Consolationis, ac Sanctorum Patris Augustini, & Matris Monicæ. An firmo sint animo, & voluntate exequendi, ac obseruandi huius sanctæ Confraternitatis ordinationes, Domino adiuuante &c. Quod si affirmatiuè responderint. Tunc Pater Custos subdat.

Et Ego vos accipio in hac sāctā Societate Saluatoris nostri Iesu Christi, Beatissimæ Virginis Consolationis, ac Sanctorum Patris Augustini, & Matris Monicæ, Fratres, vel Sorores Confratrum omnium huius Societatis, participesq; omnium gratiarum, quæ ipsi concessæ sunt. In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

2 Postea benedicat Corrigiam dicens.

℣. *Adiutorium nostrum &c.* ℟. *Qui fecit Cœlum, & terram.*

℣. *Domine exaudi* &c. ℟. *Et clamor* &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Omnipotens sempiterne &c.

Præcamur te Domine &c.

Quæ supra ponuntur in Ritu 25. induendi Mantellatum, vel Mantellatam num. 2.

Exinde Pater Custos benedicat Coronam.

Domine Iesu Christe, qui per Discipulos tuos orare docuisti, suscipe quæsumus benedicendo ✠ orationes famulorum, famularumq́ tuarum; vt illorum oratio à te semper incipiat, & per te capta finiatur. Qui viuis, & regnas in sæcula &c.

OREMVS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, vt hos famulos tuos (vel in singulari) *quibus in tuo Sanctissimo nomine Corrigiam nostræ sacræ Religionis imponimus, te largiente semper deuotè in religione persistant. Per Christum Dominum* &c.

OREMVS.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur, nullumq́ bonum perficitur, adsint nostris humilibus precibus tuæ pietatis aures, & hos famulos, vel famulas tuas, quibus in tuo sancto nomine Corrigiam nostræ sacræ Religionis imponimus, à mundi impedimento, vel sæculari desiderio defende, & concede in hoc sancto proposito deuotè semper perseuerare, vt remissione peccatorum percepta, ad Sanctorum electorum tuorum valeant peruenire consortium. Per Christum Dominum nostrum &c.

OREMVS.

Domine Iesu Christe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum infunde bene ✠ dictionem tuam super has creaturas tuas, & eas sancti ✠ fica lumine gratiæ tuæ, vt gratia Spiritus Sancti illustratæ, omnium vitiorum cæcitate careant, vt purgato mentis oculo, & cernere possint, quæ tibi sunt placita, & suæ salutis vtilia, & post huius sæculi caliginosa discrimina ad lucem indeficientem peruenire mereantur per te Iesu Christe Saluator mundi. Qui in Trinitate viuis, & regnas Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

3 Demum Pater Custos aqua benedicta aspergat Corrigias, Coronas, & personas dicendo: *Asperges* &c.

Postea accipiat Corrigiam, & cingat personam dicens.

Accipe Corrigiam super lumbos tuos, vt sint lumbi tui præcincti in signum castitatis, & temperantiæ. In nomine Patris &c.

Accipiat deinde Coronam, & ponat in manibus illius.

Accipe signum orationis in manibus tuis, vt more contemplantium, contempta felicitate terrena, & præsentem vitam habeas in patientia,

& in

& in desiderio futuram, cupiens dissolui, & esse cum Christo. In nomine Patris &c.

Postmodum accipiat candelam accensam, & porrigat illi dicens:

Accipe candelam in manibus tuis in signum supernæ illustrationis, & inflammantis charitatis, vt sis lucerna ardens super candelabrum sanctum in signum pudicitiæ, & honestatis. In nominè Patris &c.

4 Deinde subiungat.

℣. *Saluos fac seruos tuos.* ℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui dixisti Discipulis tuis: Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me, da famulis, & famulabus tuis post te venire desiderantibus hanc sanctam Societatem ingressis semper, & vbique tibi placere, se se abnegare, Crucem suam tollere; Te sequi, & ad te tandem venire. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HYMNVS.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus
Altissimi donum Dei,
Fons viuus ignis charitas,
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere
Digitus paternæ dexteræ,
Tu ritè promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longiùs,
Pacemq; dones protinus,

Ductore sic te prauio,
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atq; filium,
Teq; vtriusque spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito.
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*
℟. *Et renouabis faciem terræ.*
℣. *Post partum Virgo inuiolata* &c.
℟. *Dei genitrix intercede pro nobis.*
℣. *Ora pro nobis B. Pater Augustine.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro nobis B. Mater Monica.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da his famulis tuis in eodem spiritu rectâ sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur Beati Augustini Patris Confessoris tui, atque Pontificis patrocinio subleuemur.

Deus mœrentium Consolator, & in te sperantium salus, qui B. Monicæ pias lacrimas in conuersione filij sui Augustini misericorditer suscepisti, da nobis vtriusque interuentu peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam inuenire.

Prætende Domine fidelibus tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur.

Actiones nostras, quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per

& per te capta finiatur. Per Christum. &c.

His habitis Custos subiungat.

Dominus, qui cæpit in vobis opus bonum ipse perficiat, & augmentũ gratiæ, & gloriæ meritis B. P. N. Augustini, eiusq́. deuotissimæ Matris Monicæ vobis concedat. Amen.

Et ego auctoritate, qua fungor, indultoq́. Apostolico mihi commisso vos recipio, atque accepto, & participes omnium bonorum, quæ fiunt per totam Congregationem nostram constituo.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Moneat tamen eos de agendis, & adimplendis in hac sancta Societate, & dimittat.



RITVS XXIX.

Informationes capiendi pro Nouitio in Congregatione vestiendo, easq; mittendi ad P. Vic. Gen.

1 IN executione decreti Sanctissimi D. N. Alexandri Papæ VII. pro Nouitijs in Congregatione nostra vestiendis ante omnia à Capitulo conuentuali duo deputandi sunt Patres, qui vna cum Priore Monasterij diligenter perquirant, & in quantum possunt certiores se reddant de conditionibus, quas petentes habitu nostro vestiri iuxta præcitatum decretum, & Congregationis statuta, habere debent.

2 In primis itaq; si quis in Congregatione pro Clerico recipi petierit, non ei statim annuatur, sed probetur spiritus, si ex Deo sit; diligenterque perquiratur, si sit persona idonea, an bonæ famæ, cuius ætatis, nam nisi quintum decimum annum compleuerit recipi non potest, an legitimo thoro, honestisq; parentibus natus, ac vitam honestam duxerit, ab alia Religione, ordine, seu Congregatione non recesserit, Ecclesiastica censura, & irregularitate non sit deuinctus, nullis ratiocinijs obligatus, nullaue occulta infirmitate detentus, aut aliqua corporis deformitate maculatus, & an latinam linguam sufficientem ad ordines sacros habeat, quarum omnium, vel alterius conditionum defectu minimè erit recipiendus.

3 Requirant deinde repetitis vicibus, an iuuenis ille perfectionis zelo, & Deo liberius in Sancta Religione seruiendi, aut potius leuitate, necessitate, vel alio fine inordinato ductus postulet admitti. Insuper illi exponant ea, quæ ad religiosam pertinent vitam, nimirum abiectionem propriæ voluntatis, vilitatem ciborum, asperitatem vestium, vigilias nocturnas, labores diurnos,

pau-

paupertatem, mendicitatem, ieiunia, disciplinas, & claustri tædium, & similia.

4 Quod si allatas conditiones, habilitatem, ac promptitudinem in eo inuenerint, illum ad confessionem generalem suorum peccatorum hortabuntur, postea Capitulo Conuentus omnia referant, à quo per secreta suffragia, scilicet per balottulas nomine ipsius Conuentus, maiori parte votorum concurrente, si placet, acceptabitur, quibus habitis Prior cum duobus Prioribus deputatis P. Vicario Generali attestationem idoneitatis prædictæ, nec non acceptationis transmittant, ab eo facultatem petendo, vt ad habitum recipi possit, & vt locum nouitiatus, vbi annum probationis agere queat, designet. Talis autem formula erit attestationis, & petitionis.

Reuerendissime Pater.

5 *Exponunt reuerenter P. V. R. Prior, & Fratres Monasterij S. Andreæ Ferrariæ, quod cum à multis mensibus elapsis Paulus de Paulinis, filius D. Pauletti de Paulinis à Ferraria (* si ex Ciuitate non fuerit dicatur *loci N. Diœcesis N.) vehementer cupiat Congregationis nostræ habitu pro Clerico (* vel pro laico *) vestiri, & hanc suam intentionem sæpe, sæpiusq; præfati Monasterij Patribus manifestauerit, ipsius sancto desiderio annuentes capitulariter ad sonum campenellæ, vt moris est, congregati deputauerunt PP. Eleonorum de Bononia, & Cassiodorum de Taurino, qui vna cum Patre Priore debitas, & requisitas caperent informationes; Quibus habitis, & inuentis per eosdem Patres deputatos in præfato Paulo omnibus conditionibus, & qualitatibus, quæ in decreto Sanctissimi D. N. Alexandri Papæ VII. super hoc emanato continentur, in capitulo iterum congregati auditis relationibus ipsorum Patrum deputatorum illum proposuerunt, & proinde ad præscriptum definitionum nostrarum per vota secreta, seu balottulas ad habitum nostræ Congregationis admissus, nec non nomine supradicti Conuentus acceptatus fuit. Quamobrem Nos Prior, & Patres deputati hisce literis iuramento nostro firmatis de idoneitate prædicti Pauli fidem facimus, nec non P. V. R. humiliter rogamus hunc eundem Paulum auctoritate vestra acceptare, ad habitum nostræ Congregationis nomine huius nostri Conuentus admittere, nec non eidem aliquem nouitiatus locum pro anno probationis peragendo adsignare, & deputare dignetur. Quod &c.*


 Dat.

Dat. in Conuentu nostro S. Andreæ Ferrariæ die mensis anni

Ego N.
Ego N.
Ego N.

5 Sic literæ exaratæ mittantur P. Vicario Generali, qui decreto suo (si ei placuerit) acceptationem confirmabit, iuuenem ad habitum recipiet, eiq; locum nouitiatus deputabit: sine quo decreto Prior loci Nouitiatus, nec iuuenem induere, nec in Nouitiatu poterit retinere. Aduertant tamen Prior, & dicti duo Patres deputati, quod si in aliquo fuerint mendaces erunt ipso facto Prioratu, & vtraq; voce indispensabiliter, & perpetuò priuati.

6 Circa Laicorum, seu Conuersorum cõditiones est obseruandũ, quod habere debeant vigesimum annum completũ, sint bonæ famæ, probatæ vitæ, ex honestis parentibus legitimè nati, nec non bonæ valetudinis, vt in exercitijs corporalibus Conuentus inseruire valeant. Recipiuntur eodem modo, quo supra; sed priùs recipi debent ad habitum Comissorum, in quo per triennium integrũ inseruiant; deinde ad annum probationis in Conuentu Nouitiatus, à quo per annum integrum non poterunt remoueri, & tandẽ poterunt completo anno probationis ad professionẽ admitti, dummodo tamen vigesimumquintum annum compleuerint, non secus.



RI-

RITVS XXX.

Recipiendi aliquem ad habitum Religionis.

1 A Priore acceptis informationibus Nouitij ad habitum recipiendi ad præscriptum decreti S. D. N. Alexandri Papæ VII., *(Const. cap. 15.)* illisq; ad Patrem Vicarium Generalem missis, vt ritu superiori dictum est; nec non designato eidem Nouitio nouitiatu pro anno probationis peragendo; hora, qua sibi videbitur, Prior loci designati congregatis Fratribus Conuentus ad Nouitium induendum accedet, hocq; vel in Ecclesia, vel in Capitulo, vel in Sacristia iuxta exigentiam, & opportunitatem. Si Nouitij plures fuerint in plurali omnia peraget, quæ infra disponuntur, si vnicus, in singulari, Tunc qui induendus est ductus, & doctus à Magistro, vel alio Fratre, qui vicem Magistri gerat pro hac functione, exutus vestibus sæcularibus, vt moris est, & habitibus albis, non tamen talaribus, vestitus, ad pedes Prioris sedentis in suo loco se prosternat. Cui Prior interrogando dicat:

P. Quid petis? Ipse autem respondeat: *Misericordiam Dei, & vestram.*

2 Deinde iubeat Prior eum surgere, ab eo diligenter inquirens, num spontè, & voluntariè ad religionem accesserit, num animo perseuerandi, num benè perpenderit ea, quæ in religione exercentur, puta asperitatem Ordinis, abdicationem propriæ voluntatis, vilitatem ciborum, & vestium, vigilias nocturnas, labores diurnos, voluntariam paupertatem, tædium claustri, & his similia (reliquis omissis, quæ circa conditionem, sanitatem, scientiā, statum, obligationes, defectus, censuras &c. in habitis informationibus expressa sunt) Qui si responderit ad omnia benè dicat Prior.

Accipiemus te ad probationem anni sicut mos est fieri; & subdat: *Dominus, qui incæpit in te opus bonum perficiat*; et Fratres respondeant. *Amen.*

3 Tunc

3 Tunc Cantores Hymnum incipient: *Magne Pater Augustine,* &c. & dum cantatur Hymnus; prius tonsis crinibus, religionis habitu induitur Nouitius, scilicet tunica alba cum scapulari, & capucio, & desuper cappa nigra cum capucio, illum præcingendo Prior pellicea zona, & hymno finito dicatur:

℣. *Ora pro nobis B. Pater Augustine.*

℟. *Vt digni efficiamur* &c. Et Prior.

OREMVS.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum bene ✠ dicere dignare, cui in sancto nomine tuo sacræ religionis habitum dedimus, vt te largiente deuotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Christum &c. *Amen.*

4 Induto Nouitio dicat Prior.

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da ei.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Syon tuere eum.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui à sæculi vanitate auersos ad brauium supernæ vocationis accendis, & qui renuntiantibus sæculo mansiones paras in Cælo, dilata famuli tui cor cælestibus bonis, vt fraterna nobiscum teneatur compagine charitatis, vnanimis regularia instituta custodiat, sobrius, simplex, & quietus, gratis sibi datam suæ conuersionis gratiam fuisse cognoscat, eiusque vita perfecta sentiatur in opere. Per Christum &c. Amen.

OREMVS.

Domine Iesu Christe Dux, & fortitudo nostra humiliter petimus, vt famulum tuum, quem compunctionis ardore ab hominum cæterorum proposito

posito separasti, à conuersatione carnali, & ab immunditia terrenorum actuum infusa ei cælitus sanctitate discernas, & gratiam, quam te donante affectat, opere adimpleat, ut sic suæ conuersionis executor effectus, ad ea, quæ perseuerantibus in te promittere dignatus es, pertingat bona. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

5 Detur postea Nouitio candela accensa in manu, & cantetur Hymnus: *Veni Creator Spiritus* &c. supra Ritu 27. & dum cantatur (nisi ceremonia in Ecclesia fiat) ducatur Nouitius processionaliter (si placet) ante Altare maius, Priore, & Nouitio post alios remanentibus. Et finito hymno dicatur.

℣. *Emitte spiritum &c.* ℟. *Et renouabis faciem &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. in vnitate eiusdem &c. Amen.


OREMVS.

Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero Verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti præsta supplicibus tuis, vt, qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Christum &c. Amen.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciã sperandæ pietatis indulges intercedente B. Patre nostro Augustino Confessore tuo, atq; Pontifice consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Amen.

6 Expletis his omnibus ab instructore capitur candela de manu Nouitij, & extinguitur, & ducitur ad Priorem, à quo accipit pacem dicente Priore: *Pax tecum* ipse autem respondeat: *Et cum spiritu tuo*; & sic successiuè ab alijs Fratribus. Expleta pace reducitur Nouitius ad Priorem, ante quem genibus flexis, audit ab ipso Priore Apostolicum oraculum: *Non qui incæperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Tandem Prior mutato Nouitij nomine, habitoque ad ipsum breui sermone, tradat sub obedientia Magistri, qui eum dirigat in via Dei, & doceat ea, quæ in Religione necessaria sunt.

7 In induendis Laicis, puta Conuersis, vel Commissis idem erit seruandus Ritus, præterquamquod ipsis non tondentur à Superiore capilli, minoriq; cum solemnitate præfata omnia implebuntur. Pro Tertiarijs, & Mantellatis peculiarem Ritum assignauimus in superioribus.



RI-

RITVS XXXI.

Professionis à Fratribus emittendæ.

1 COmpleto probationis termino, Prior ad sonum campanellæ congregatis in Capitulo Fratribus audiat instantiam Nouitiorum quærentium ad professionem admitti. Deinde faciat illos exire de Capitulo, ac Patribus proponat, an digni existimentur, vt eorum petitionibus annuatur. Qui si annuerint, & per vota secreta, concurrente maiori parte votorum, id statutum fuerit, tunc, supposito etiam consensu Patris Vicarij Generalis, pariter ad sonum campanellæ congregatis iterum, vel eodem, vel sequenti die in Capitulo Patribus, (*Const. cap.* 18) introducatur nouitius, tunica alba indutus, à Magistro suo in loco vbi Patres omnes congregati sunt: Hic flexis genibus ante Priorem ab ipso interrogatur, velitne discedere ab ordine absolutus, an ordini potius se obligare. Si professionem responderit se potius velle facere; deferatur ad pedes Prioris habitus niger professorum. Qui illum benedicens hoc modo incipiat.

℣. *Adiutorium nostrum &c.* ℟. *Qui fecit cęlum, & terram.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus ad te &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Domine Iesu Christe, qui tegumentum nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad humilitatis indicium, ab renuntiantes sæculo, ferre sanxerunt, tu ita bene ✠ dicere digneris, vt postquam hic famulus tuus eo vsus fuerit, te induere mereatur. Qui viuis, & regnas &c. Amen.

Deus æternorum bonorum fidelissimè promissor, & certissimè persolutor, qui vestimentum salutis, & indumentum iocunditatis tuis fidelibus

bus promisisti, clementiam tuam humiliter exposcimus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi significantia, quibus hic famulus tuus visibili est informandus proposito propitius bene ✠ dicere, vt beatæ abnegationis habitum, quem te aspirante susceperit, te protegente custodiat, & quem vestibus venerandæ religionis induere volumus beata facias immortalitate vestiri.

Domine Deus bonorum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor te obnixius deprecamur, vt has vestes bene ✠ dicere, & sanctificare digneris, quas famulus tuus pro iudicio agnoscendæ religionis induere vult, vt inter reliquos Fratres tibi agnoscatur dicatus. Per Christum &c. Amen.

2 His completis tam Nouitius, quam vestes aspergantur aqua benedicta, & adoleantur incenso. Postea Prior exuat Nouitium veste nouitiali dicendo: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.* Et consequenter induat eum vestibus benedictis dicens: *Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus es in iustitia, & sanctitate veritatis.*

3 Interim dum induitur cantent Fratres Hymnum *Magne Pater* &c. Postea.

℣. *Ora pro nobis B. Pater Augustine.*

℟. *Vt digni efficiamur* &c.

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciã sperandæ pietatis indulges, intercedente B. Patre nostro Augustino Confessore tuo, atq; Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Christum &c. Amen.

Induto Nouitio Prior genibus flexis incipiat Hymnum: *Veni creator Spiritus &c.* & Fratres decantent totum, vt supra Ritu nu. 4. Postea.

℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renouabis faciem terræ.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consola-

la-

latione gaudere. Per Dominum nostrum &c. in vnitate eiusdem &c. Amen.

5 Et sic inuocato Spiritu Sancto accipiat Nouitius Regulam, & genibus flexis deponat apertam in gremio Prioris sedentis, tenens iunctas manus super eam in modũ orantis, quam Prior appræhensam teneat in manibus eius professionem in tono lectionum decantet hoc modo.

In nomine D. N. I. C. benedicti. Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo sexcentesimo die mensis

Ego F. de B. filius Domini N. de G. facio professionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, & Beatæ Mariæ semper Virgini, & tibi Fratri C. de F. Priori S. Barnabæ Brixiæ, nomine, & vice Reuerendiss. in Christo Patris Magistri P. de R. Prioris Generalis Ord. Fratrum Eremitarũ S. Augustini, & successoribus eius canonicè intrantibus, viuere sine proprio, & in castitate secundùm regulam Beati Patris nostri Augustini vsque ad mortem.

6 Finita professione dabitur Nouitio candela accensa, & immediatè dicitur oratio.

Oremus Fratres carissimi, vt quod Frater noster ore professus est opere feliciter compleat auxiliante Domino N. I. C. qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

7 Et postea Cantores incipiant: *Te Deum laudamus*, & bini procedant Fratres in Ecclesiam Nouitio cum candela accensa in manu penes Priorem incedente. Ingressi Ecclesiam stet Nouitius flexis genibus ante Altare maius; & finito *Te Deum &c.* ter dicat hunc versum plus vocem eleuando secunda, quam prima vice, plus tertia, quam secunda.

℣. *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam.*

Chorus respondeat.

℟. *Et non confundas me ab expectatione mea*, & in fine tertij addat in eodem tono Nouitius nouiter professus.

℣. *Gloria Patri, & Filio &c.* ℟. *Sicut erat &c.*

8 Post hæc Prior mediocri voce cantando dicat: *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.*

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.*

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus*

℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
℟. *Et salutare tuum da ei.*
℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Syon tuere eum.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, cuius charitatis ardore succensus hic famulus tuus, stabilitatem suam tibi in hoc ordine promittendo, tuo iugo, collum submittit concede propitius, vt in vltimo tui examinis die in dextera tua collocatus, cunctaq; deuotionis suæ promissa se adimplesse lætetur. Per Dominum nostrum &c. Amen.

OREMVS.

Agnosce Domine Iesu Christe famulum tuum inter oues tuas, vt ipse te agnoscat, & te abnegando alienum pastorem non sequatur, nec audiat vocem alienorum, sed tuam, qui dicis: Qui mihi ministrat me sequatur. Qui viuis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

OREMVS.

✠ *Sancte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum reuelare dignatus es, postulamus immensam tuæ Maiestatis gratiam, vt sicut vbi vis spiras, sic, & huic famulo tuo, affectum deuotionis indulgeas, & quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque prouidentia gubernetur, quem iuxta consuetam tibi gratiam vnctio tua de omnibus doceat, & per intercessionem Sanctissimi Patris nostri Augustini, quem præcipuum huius Sanctæ Institutionis legislatorem dedisti, nec non, & aliorum Sanctorum ad obseruantiam Sancti propositi fac eum ita certatim feruere, vt in tribulationibus, & angustijs, tua indeficienti consolatione valeat respirare, & iustè, ac piè per veram humilitatem, atq; obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante promittit fælici perseuerantia compleat.*

Om-

Omnipotens sempiterne Deus, qui sub magno Patre Augustino in Ecclesia tua Sancta grandem filiorum exercitum contra hostes inuisibiles adunasti Fratrem nostrum nouiter collum iugo sub tanti Patris militia supponentem amore Sancti Spiritus accende, vt per obedientiam, paupertatem, & castitatem, quam modo professus est ita militando tibi Regi regum præsentis vitæ stadium percurrere valeat, vt remuneratus fęlicitatis æternæ coronam de victo, triumphatoq; mundo, cum pompis suis te donante percipiat. Per Dominum &c. in vnitate eiusdem &c. Amen.

Deus, qui Beatissimum P. N. Augustinum de tenebris gentium reuocasti, mundoq; spreto tibi soli militare fecisti, tribue quæsumus huic famulo tuo, sub eiusdem magisterio ad tuum seruitium festinanti, & perseueranti constantiam, & perfectam vsq; in finem victoriam. Per Christum &c. Amen.

9 Orationibus finitis ducatur professus à Magistro ad pacem dandam singulis Fratribus dicendo: *Pax tecum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*, incipiendo à Priore. A quo postea genibus flexis hortationem audiat ad Deo reddendum, quod vouit, & benedictionem accipiat.



RITVS XXXII.

Trinæ electionis, seu postulationis Priorum.

1 AD Trinam electionem, seu postulationem Priorum Monasteriorum iuxta præscriptum antiquarum constitutionum, (*Const. cap.* 28.) olim per viam scrutinij procedebant Fratres, quod vsque ad nostra tempora seruatum vidimus; & quia debita cum libertate hoc fieri non poterat, cum vota vocalium scrutatoribus innotescerent, idcircò, vt in huiusmodi, cæterisque omnibus electionibus, actionibus, & resolutionibus libertas à Sacris Canonibus, & præsertim à Sacr. Concil. Trid. cõmuniter data, & requisita plenè seruetur; (1644. *num.* 19.) in definitionibus iussu definitorij Capituli Generalis Romæ celebrati de anno 1644. emanatis, decretum fuit, vt in futurum omnes electiones capitulares, & quæcumque aliæ actiones, & resolutiones, quæ per vota Fratrum debent expediri, non amplius per scrutinium, in quo vota vocalium scrutatoribus, seu alijs innotescere possunt, sed per secreta suffragia fieri omninò debeant, & aliter factæ nullius fiat roboris, & momenti.

2 His igitur stantibus ad trinam Priorum electionem, seu postulationem sic in præsenti procedendum erit. Vt appropinquante Capitulo Generali Congregationis Prior ad sonum campanellæ, Fratres omnes conuocet in Capitulo, & inuocato Spiritu Sancto, admoneat omnes ad eligendum, seu petendum Priorem, qui sibi in gubernando succedat, aptum, idoneum, prudentem, vigilantem, obseruantem, zelantem, ætate maturum, bonæ famæ, moribus decoratum, literis sufficienter præditum, ac omnibus illis conditionibus refertum, quas in Conuentuum Prioribus Constitutiones requirunt. (*Const. cap.* 30. *cap.* 28. *cap.* 31.) Deinde

egref-

egreſſis de capitulo illis, qui in electione Prioris vocem non habent; hi autem ſunt Commiſsi, Conuerſi, & Laici omnes, Clerici ante triennium à profeſsione, Hoſpites, alter ex duobus conſanguineis in primo, & ſecundo gradu, nec non ob aliquam pænam voce priuati; proponere incipiant tres Patres vnus poſt alium incipiendo per ordinem, qui pro Conuentus regimine idonei iudicantur, & buſſolis circumcirca delatis ſinguli ſingillatim per ſecreta Fratrum ſuffragia ballotentur. Interea Prior duos ex ſenioribus deputet Patres, qui ſimul cum Diſcreto Conuentus prius electo, vt infra dicemus (in illis videlicet Monaſterijs, qui diſcretum eligunt) videant, & enumerent vota vocalium, & diligenter notent quot vnuſquiſque ex propoſitis in Priorem vota habuerit fauorabilia, & quot contraria. Completa autem ballotatione ſcribantur literæ Præſidenti, & Definitoribus Capituli Generalis directæ tenoris ſequentis.

3 *Reuerendi Patres inuocato prius Spiritu Sancto celebrauimus Capitulum noſtrum Conuentus Sancti A. de C. pro vt moris eſt in noſtra Congregatione. In quo quidem capitulo per ſecreta ſuffragia ad præſcriptum definitionum noſtrarum elegimus primo in Diſcretum noſtrum Fratrem B. de C., deinde procedentes ad electionem Priorum, & egreſſis de capitulo his, qui vocem non habent in electione Prioris remanſimus in ſumma vota Et in prima quidem electione electus fuit Ven. P. in Chriſto Frater D. de C. qui per ſecreta ſuffragia ballotatus habuit in fauorem vota contra vero vota In ſecunda pariter per ſecreta ſuffragia electus fuit Ven Pater in Chriſto Frater E. de F. qui in fauorem habuit vota contra autem vota In tertia vero eodem modo per ſecreta ſuffragia electus fuit Ven. Pater in Chriſto Fr. A. de B., qui habuit in fauorem vota contra autem vota Quare Reuerendas Paternitates veſtras rogamus, vt vnum ex his tribus nobis detis in Patrem, & Priorem, aut alium, quem dare melius viſum fuerit Paternitatibus veſtris, quibus nos, & hunc locum noſtrum intimè commendamus. Dat. C. in Conuentu noſtro Sancti N. die menſis anni*

4 Poſtea Fratres ſinguli nominatim ſe ſubſcribant, & literis ſigillo Conuentus ſigillatis, vel Prioris, ſi Conuentus non habuerit

ſigillum per Diſcretum, vel per ipſum Priorem, ſi Monaſterium Diſcretum non elegerit ad Capitulum Generale tranſmittatur cum hac ſupraſcriptione.

Reuerendis Patribus in Chriſto Præſidenti, & Definitoribus Capituli Generalis Congregationis Obſ. Lomb. Ord. FF. Erem. S. Auguſt. in Conuentu Sancti A. de B. celebrandi.

5 In Monaſterijs autem, qui Diſcretum non eligunt, literæ Definitorio directæ tali methodo conficiantur.

Reuerendi Patres. Inuocato prius Spiritu Sancto celebrauimus Capitulum noſtrum Conuentus Sācti A. de C. pro vt moris eſt in noſtra Congregatione, & egreſſis de capitulo his, qui vocem non habebant in electione Prioris remanſimus in ſumma vota Sicq; procedentes ad Prioris electionem per ſecreta ſuffragia ad præſcriptum definitionum noſtrarum; in prima electione electus fuit Ven. Pater in Chriſto Frater &c. reliqua, vt in litera ſuperius deſcripta.



RITVS XXXIII.

Eligendi Discretum, Vicarium, Sacristam, & alios Officiales.

1 Onuentus, in quibus decem Fratres professi de familia degunt, *(Rub. 6. c. 2.)* eligere possunt Discretū, qui pro Capitulo loci, seu domus, cum Priore Conuentuali ad Capitulum generale ire debebit; *(Const. c. 28.)* eligendus est autem Pater, qui sit de familia illius Conuentus, ita vt in eo pro maiori anni parte permanserit, in sacris constitutus, & ad minus ætatis 24. annorum per triennium professus, & qui in Capitulo generali antecedenti eodem officio functus non fuerit; & eligi debet ante electionem Prioris non amplius per secreta scrutinia, vt mos erat in Congregatione, sed iuxta Definitiones anni 1644. n. 19. Ritu superiori extensas, per ballotationē, & secreta suffragia. Proponatur à Priore, & ballotetur, quod si propositus, partem maiorem votorum contrariam habuerit alter proponatur, & alter quoadusque pro maiori votorum parte sit aliquis electus. Si autem vota sint paria Prior potest determinare electionem partis sanioris. In Discreti electione voce carent illi omnes, qui votare nequeunt in electione Prioris, exceptis Conuersis, qui ex gratia, elapso triennio suæ professionis, possunt ad electionem Discreti concurrere. *(Rub. c. 2.)*

2 Duo ex senioribus Patribus à Priore deputati bussolas aperiant, & vota vocalium obseruent, & enumerent, & Patrē illum, qui plura vota habuerit, senior ex duobus deputatis, coram omnibus publicet, & in Discretum eligat, sic dicendo. *In nomine Domini N. Iesu Christi Benedicti. Amen. Anno eiusdem millesimo sexcentesimo die mensis Ego Frater N. vnus scruttatorum huius Capituli nomine meo, & nomi-*

ne omnium ad quos præsens spectat electio; eligo Fratrem A. de L. in Discretum huius Conuentus nostri Sancti A. B.

3 Hic idem ordo per secreta suffragia in electione Vicarij Conuentus seruandus est, casu videlicet quo Capitulum Conuentuale Vicarium eligat, vt facere potest; dum accedente ad Capitulum generale Priore sine Vicario Conuentum relinquat, vel mortis casu Prioris, & Vicarij; & idem pariter in electione Sacristæ, Procuratoris, Sindicorum, & eorum omnium Officialium, qui per Fratrum vota eligi solent. *(Const. c. 26. n. 1. Const. c. 18. n. 8. Rub. 2. c. 2. Const. c. 19. n. 3.)* Cum hoc tamen discrimine, quod in electione Vicarij, sicuti & aliorum officiorum curam animarum concernentium, vocem non habeant Commissi, Conuersi, Clerici, nisi post triennium à professione, Hospites, alter ex duobus consanguineis in primo, & secundo gradu, & ob aliquid delictum priuati voce; in alijs verò electionibus solum Commissi, Hospites, Conuersi ante triennium à professione, alter ex consanguineis in primo, & secundo gradu, & voce priuati excludantur.

4 Electis Sacrista, Procuratore, & Sindicis à Conuentus Priore his verbis confirmabuntur.

Auctoritate, qua fungor confirmo te in Sacristam, vel Procuratorem huius Monasterij, dans tibi omnem auctoritatem, quam cæteri Sacristæ, vel Procuratores solent habere. In nomine Patris, &c.

Omnes demum capitulares actiones, electiones, & resolutiones per vota secreta expediendæ erunt, & in libro peculiari à Priore describendæ.



RI-

RITVS XXXIV.

ſeu Forma actiones omnes capitulares in peculiari libro deſcribendi.

1 CVM in Definitione decimanona Capituli generalis Romæ de anno 1644. *n.* 19. celebrati, ſingulis Priorib⁹ in virtute ſanctæ obedientiæ prçcipiatur, vt in ſuis Cõuentibus librum habeant, in quo omnia, & ſingula acta capitularia ſcribantur, primò quidem numerus, & nomina vocalium, deinde propoſitiones, & ballotationes, ac tandem reſolutiones inde reſultantes cum ſubſcriptione Prioris, & duorum Sindicorum, ſeu ipſis, vel altero ex his abſentibus, vnius, ſeu alterius ex antiquioribus Conuentus, decreta renouando, aliàs circa hoc emanata. *(Rub.* 18. *c.* 4.*)* Propterea formulam, vel modum huiuſmodi acta capitularia in peculiari libro deſcribendi hic adnotabimus. Exemplar autem ſingulare proponemus, vt conſimili methodo, & ordine actiones omnes, & reſolutiones deſcribantur.

Die Menſis Anni

Conuocato Capitulo Conuentuali Monaſterij Sancti A.B ſonitu præmiſſo campanellæ, vt moris eſt, in quo quidem Capitulo ſequentes interfuere vocales videlicet.

R. P. B de C. Prior Conuentus.
P. D. de C. Vicarius.
P. F. de G. Sacriſta.
P. Honorius de I. Procurator.
P. L. de M. Sindicus.
P. N. de Q.
P. P de Q.

Qui omnes ex tribus duas, & amplius partes vocalium huius Conuentus conſtituunt, propoſitus fuit ad Procuratoris Monaſterij officium exercen-

cendum P. I. de V. sicque facta ballotatione per vota secreta omnibus nullo excepto (vel si aliquod votum contrarium fuerit dicatur exceptis duobus, vel tribus) *concurrentibus suffragijs, electus fuit, & acceptatus.*

Ita est F. B. de C. Prior Conuentus.

Ita est P. B. de E. Vicarius, & Sindicus.

Ita est P. L. de M. Sindicus.

2 Alio etiam parum dissimili modo contingit acta capitularia in libro exarare, cum videlicet initio actionis motiuum proponit talis actus capitularis, exempli gratia.

Die *Mensis* *Anni*


Cum Dominus Z. de A. Filius Domini P. de B. & Domina C. de F. Zelo religionis incensus vehementer cupiat, & petat sacro Congregationis nostræ habitu vestiri, propterea conuocato Capitulo, &c. vt supra vsque ad illa verba, *Propositus &c.* tunc sic. *Propositi fuerunt ad necessarias informationes capiendas iuxta Decretum Sanctiss. D. N. Alexandri Papæ VII. Patres G. de N. & M. de L. sicque facta ballotatione &c.* modo supra explicato electi fuerunt, & deputati.

Ita est &c.

Ita est &c.

Ita est &c.

Possunt autem huiusmodi actus in libro describi etiam vernacula lingua, pro libito Superioris.



RITVS XXXV.

Celebrandi Capitulum Generale Congregationis, vbi de intronizatione P. Præsidentis, electione P. Vic. Generalis, Definitorum, & Visitatorum.

1. D Capitulum Generale Congregationis studeant omnes vocales opportuno tempore conuenire, (*Const. cap.* 30.) videlicet fer. 5. ante Dominicam tertiam post Pascha. Qua die omnes in Ecclesia congregati Missæ adstabunt de Spiritu Sancto cum *Gloria*, & *Credo* à Patre Vicario Generali solemniter cantatæ, vel saltem singuli missam de Spiritu Sancto celebrabunt.

2 Feria sexta sequenti statim post vesperas ad sonum campanellæ, Pater Vicarius Generalis omnes tàm vocales, quàm non vocales ad Capitulum, vel refectorium, vel Ecclesiam, vel locum alium aptum, & capacem conuocabit, vbi omnibus consedentibus dicto *Adiutorium* &c. *Benedicite Deus*. *Dominus vos benedicat* &c. vt de more, sermonem opportunum habebit. Hoc peracto antiquiorem ex Definitoribus anni elapsi iuxta formam indulti Apostolici Præsidentem pronunciabit. Qui statim surgens, grauis, & humilis in loco suo genua flectet, cui Pater Vicarius Generalis, & Patres circa illum sedentis accedentes reuerenter, & modestè illũ eleuabunt, & ad titulum Capituli ductum in loco superiori, facient consedere. Tunc Pater Vicarius Generalis ante ipsum in signum obedientiæ genua flectens reuerenter eius manum deosculabitur (quod successiuè per ordinem Fratres omnes pręstabunt,) & ad sinistram ipsius Præsidentis se collocabit. Pater autem Præsidens dicto *Adiutorium* &c. Ceremonia nempè recognitionis eius completa, pro vt sibi videbitur sermonem ad Fratres habebit.

Dein-

Deinde de Patrum consilio duos ordinabit Capituli celebrandi correctores, eorumque singulis baculum in manibus dabit, quem ferent in signum potestatis acceptæ; Quibus tamquam Prioribus Capituli omnes in foro exteriori obedire debebunt, nec absque eorum speciali licentia .s. alterius cuiquam domo exire licebit.

3 Die autem Sabbati R. Pater Præsidens missam de Spiritu Sancto cum *Gloria*, & *Credo* solemniter cantabit, pariterque vocales missam de Spiritu Sancto celebrabunt, vel saltem communicent, qui fortè celebrare nequibunt. Quibus completis, pulsata campanella pro Capitulo conuocando omnes tàm vocales, quàm non vocales ad Ecclesiam conuenient, vbi cantores genibus ad terram flexis incipiant cum nota solemni hymnum: *Veni Creator Spiritus* &c., & alternatim ex vtroq; Choro vsq; ad finem cantabitur. Postea Cantores ℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renouabis faciem terræ.* Tunc Pater Præsidens. ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. in vnitate eiusdem &c. Amen.

OREMVS.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando praeueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cępta finiatur.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciã sperandæ pietatis indulges, intercedente B. Patre nostro Augustino Confessore tuo, atq; Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Christum &c. Amen.

4 His peractis sedeant, & Pater Socius, qui iuxta consuetudinem habiturus est sermonem de electione, genibus flexis coram Patre Præsidente dicat: *Iube Domne benedicere.* Et Pater Præsidens benedicendo dicat: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annuncies verbum suum: In nomine Patris* &c. Si autem Pater Socius defuerit, ipse P. Præsidens quantum ei videbitur ad electionem R. P. Vicarij Generalis animo libero,

purè,

purè, rectè, zeloq; Dei, & religionis celebrandam hortabitur, & inducet. Completo sermone dicat P. Præsidens: *Recitentur obitus fratrum, sororum, familiarium, propinquorum, confratrum, & benefactorum nostræ Congregationis, & particularium locorum nostrorum, qui diem obierunt à Capitulo Generali vltimo præterito vsque ad hanc diem.* Tunc P. Vicarius Generalis per se, vel per alium recitabit nomina defunctorum Fratrum nostrorum, & deinde benefactorum in genere. Postea P. Præsidens (si sic videbitur) moneat de eodem singillatim Priores omnes, eos sic vocando: *Prior S. Augustini Cremæ.* Tunc statim surgens Prior Cremæ omnibus commendabit animam fel. rec. quondam Magnif. D. Ioannis Thomæ de Vicomercate Fundatoris Conuentus Cremæ, & consequenter totius Congregationis &c., & sic ordinatè fiat de reliquis Prioribus; Hac terminata actione P. Præsidens hæc verba alta voce dicat: *Debitum missarum, & officiorum tàm fratrum, & sororum, quàm Confraternitatis literas habentium, & istorum omnium propinquorum, & benefactorum nostræ Congregationis defunctorum in fine capituli reseruamus iniungendum, cum benefactores viui recitabuntur, vt pro his omnibus integrè satisfaciamus. Nihilominus in communi omnium memoria ipsorum dicamus in præsentiarum: De profundis clamaui* &c. Et dicetur à Capitulo vsq; ad finem cum *Requiem æternam* &c. Postea Pater Præsidens. *Pater noster &c.*

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiã tuam, vt nostræ Congregationis fratres, sorores, confratres, familiares, propinquos, & benefactores, qui ex hoc seculo transierunt, B. Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre &c. Amen.

5 Post hæc P. Præsidens sedeat, & cum eo cæteri omnes, exinde clara voce dicat: *Omnes fratres tam vocales, quam non vocales*

acce-

accedant ad Capitulum. Tunc Fratres bini, & bini ad medium coram altari se inclinantes cum silentio maturè accedant ad Capitulum, & postquam ordinatè consederint, P. Præsidens dicat *Adiutorium &c. Benedicite Deus. Dominus nos benedicat &c.* His dictis P. Vicarius Generalis surgens genua flectat in medio Capituli versus Patrem Præsidentem, & officium Vicariatus Generalis simpliciter renunciet, sigillumque in manibus Patris Præsidentis consignans ab officio petat absolui, verba similia dicens: *Reu. Pater officium Vicariatus Generalis Congregationis nostræ, quod indignè hucusque exercui in manibus tuis sponte, & hilari animo renuncio, & à Reu. Paternitate tua absolutionem humiliter peto.* Et P. Præsidens respondebit: *Et ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte accepto renuntiationem tuam, & absoluo te ab officio Vicariatus Generalis nostræ Congregationis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Deinde P. Vicarius Generalis absolutus suam dicat culpam consimilibus verbis. *Reu. Pater dico meam culpam Deo, & tibi de omnibus vitijs, & negligentijs meis. In primis quod Congregationem meo regimini vsq; in hodiernum diem destinatam delita cum charitate, clementia, vigilantia, diligentia, zelo, & exemplaritate non gubernauerim; Iustitiam, vt par est meis subditis integrè non administrauerim, dignos præmio, indignos conuenienti pęna non affecerim, spiritualia simul, ac temporalia negligenter curauerim, constitutiones, ac definitiones nostras exequi adamussim non fecerim, & tandem si in aliquo, vel dicto, vel facto, vel commissione, vel omissione offendi, dico meam culpam, & peto veniam.* His dictis P. Præsidens eidem pęnitentiam iniungat de psalmo, vel *De profundis &c.* vel *Laudate Dominum omnes gentes &c.*

6 Antequam verò ad electionem noui Vicarij Generalis deueniatur P. Præsidens protestetur omnibus, & dicat hæc verba: *Si quis nouerit causam, cur vocem quis actiuam, vel passiuam habere non debeat in hac statim futura R. P. Vicarij Generalis nostræ Congregationis electione id dicat apertè, aliàs enim sine vitio pertransibit electio.* Deinde alta, & intelligibili voce subdat: *Omnes quot quot non habent vocem actiuam in hac statim celebranda Vicarij Generalis nostræ Congregationis electione, Capitulum egrediantur, & ad Ecclesiam accedentes missam solemniter cantent pro Defunctis.* Ad

cuius

cuius iussionem omnes simpliciter obedient. His habitis aperiantur, & legantur literæ Eminentissimi Protectoris, vel P. Generalis, si quæ sunt Cap. Gener. directis, & deinde P. Præsidens Patrē Vicarium Generalem absolutum requirat, vt iuxta morem tres ex vocalibus nominet, in celebrandi Capituli scrutatores eligendos. Quibus nominatis P. Præsidens omnium vocalium vota viua voce requirat; in quibus si maior pars consenserit, eos ad se venientes confirmabit dicens: *Et ego auctoritate Apostolica in hac parte mihi commissa confirmo vos in scrutatores huius Capituli nostri Generalis celebrandi, dans vobis omnem auctoritatem, & potestatem, quam cæteri scrutatores Capituli huiusmodi solent habere; In nomine Patris &c.* Si verò contingeret scrutatores nominatos à P. Vicario Gener. absoluto, vel omnes, vel aliquem non acceptari, tunc P. Præsidens alium, vel alios eorum loco proponat, donec de tribus prouisum fuerit.

7 Scrutatores igitur electi, & confirmati numerum vocalium tunc præsentium diligenter enumerent, & notent. Interea singulis vocalibus listæ, seu schedæ impressæ cum nominibus eorum, qui pro Vicariatu Generali vocem passiuam habent distribuantur; & quisq; tres Patres, ex quibus vnum in Vicarium Generalem eligere vellet, ex ibidem impressis, iuxta conscientiam suam sceligat, & nomina reliquorum ex scheda abstrahat, illa tria adhuc listæ adhærentia seorsim retinendo vsque quo scrutatores venerint ad nomina colligenda. Scrutatores itaque à singulis vocalibus accipient in (vt vulgò dicitur) bacilis cartulam cum nominibus trium Patrum, ab vnoquoq; vocalium nominatorum, ita tamen, vt scrutatores nomina non videant, nec sciant, quem hic, vel ille nominauerit, sed omnes cartulas in vnum colligant, & confundant. His præstitis scrutatores à cæteris vocalibus se se elongantes, ità .s. quod à cæteris videri possint, non autem audiri, sceligant ex omnibus tres illos Patres, in quibus plures vocales consenserunt, scribendo nempè à quot vocalibus fuerit hic, vel ille nominatus, vsquequo omnes cartulæ compleantur, & clarè appareat, qui sint tres illi Patres à pluribus nominati. Si autem contingat aliquem ex scrutatoribus esse de numero trium, manifestetur P. Præsidenti, qui statim alium vice eius deputabit. Post hæc scelectos tres Pa-

tres,

tres, in quibus plures consenserunt, antiquior scrutatorum ad medium Capituli cum socijs accedens alta voce pronunciet hoc modo. *Hi sunt tres Patres, in quibus plures consenserunt, vt vnus eorum in Vicarium Generalem nostræ Congregationis eligatur, videlicet Ren. Patres in Christo Fr. Alipius de Bononia; Fr. Nembridius de Genua; Fr. Euodius de Papia.*

8 Postea nomina illorum trium Patrum super tribus distinctis bussulis affigent, quas super publicam tabulam, vbi ab omnibus videri possint, reponent, dabuntq; scrutatores singulis vocalibus singulas ballotulas ex panno consutas in manibus, numerum eaũ notantes; Qui per ordinem ad locum bussularum accedentes, manum, in qua ballotulam tenent super singulas bussulas prædictas apponent, & in eius, quem in Vicarium Generalem nostræ Congregationis eligere volent bussulam, ballotulam immittent successiuè. Tamen antequam bussulæ aperiantur, scrutatores ad mediũ Capituli venientes, omnibus audientibus senior eorum dicat hoc modo: *Vt electio P. Vicarij Generalis nostræ Congregationis vnanimis fiat, & celebretur, requirimus vos Patres, qui estis super bussulas electionis inscripti, & ballotati, si estis contenti renuntiare ballotulas, & voces, quot quot, sint vobis datas, illi, qui ex vobis habuit plures?* Et si responderint: *Renuntio, vt requisistis.* Interrogent præterea omnes vocales hoc modo: *Et vos Patres electores, qui dedistis vota vestra, & ballotulas illis duobus, qui non habent plures, estisne contenti dare illas ei, qui plures habuit in bussula nomini suo inscripta?* & respondentibus illis; *Sumus contenti dare, vt requiritis, & damus.*

9 Tunc scrutatores accedant ad aperiendas bussulas, & calculandas ballotulas, quas in singulis earum inuenerint, quod si duo, vel omnes inueniantur æquales, id pronuncient in Capitulo, & iterum faciant eos ballotari. Quod si iterum omnes, vel duos eorum æquales inuenerint, statuitur, quod minor, seu minores secundum professionis primogenita renuncient maiori vota sua. Exinde iterum ter campana pulsata pro Capitulo, antiquior scrutatorum in altum ascendens electionem publicè, & alta voce pronunciet, eamq; in tono lectionum cantet dicendo:

In nomine Domini Nostri Iesu Christi Benedicti. Amen. Anno eius-

eiusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo die mensis Ego F. Sinforianus de Strambino senior scrutatorum huius Capituli nomine meo, & nomine omnium, ad quos præsens spectat electio, eligo in Vicarium Generalem nostræ Congregationis R. P. in Christo F. Alipium de Bononia.

10 Et tunc campanæ omnes pulsentur, & statim Cantores incipiant cum nota *Te Deum laudamus, &c.* & omnes Fratres bini, & bini, vt moris est ad titulum Capituli se inclinantes processionaliter cantantes ingrediantur Ecclesiam, post alios incedentibus P. Præsidente, & Vicarijs Generalibus, electo .s. à dextris Præsidentis, & absoluto à sinistris. Ad Altare peruenti Vic. Gen. electus genua flectat in medio super gradum Altaris, & P. Præsidens stabit post eum erectus, qui Cantico finito dicat cum nota in tono Capituli horarum. ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da huic famulo tuo in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum &c. in vnitate eiusdem &c.

OREMVS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum, & super congregationem illi commissam spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceat perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

11 Quibus expletis P. Præsidens ante P. Vicarium Generalem ad medium Altaris accedat, & sedente è regione coram P. V. G. electo adhuc genuflexo ibi stante, illumq; confirmabit, tradens sigillum Congregationis, ac dicens sine nota: *Et ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte confirmo te in Vicarium Generalem nostræ Congregationis, dans tibi omnem auctoritatem, & potestatem in temporalibus, & spiritualibus, quam cæteri Vicarij Gener. eiusdem Congregationis solent habere. In nomine Patris, &c.* Deinde P. Præsidens erigat illum, & sedere faciat contra medium Altaris, & genibus flexis ante illum deosculabitur ei manum. Postea surgens sedeat ad dexteram illius, simili modo P. Vicarius Generalis absolu-

solutus genua flectat, & deosculata manu sedebit ad sinistram. Et sic cæteri omnes successiuè manum deosculabũtur eidem in signũ obedientiæ, & reuerentiæ, & ad loca sua secedent per ordinem. Facto tandem signo, & ceremonia expleta, omnes Ecclesiam bini, & bini exeuntes, ad prandium ibunt.

12 Post prandium hora, quæ Patri Præsidenti videbitur opportuna, congregato Capitulo vtsupra, in quo P. Præsidens sedebit in medio, à dextris Vic. Gen. electus, & à sinistris absolutus, P.Præsidens vocales omnes hortabitur ad electionem Patrum Definitorum ritè,& prouidè faciendam. In quorũ electione seruabitur modus supra positus in electione P. Vicarij Generalis,& dabitur vnicuique vocalium schedula cum nominibus omnium eorum, qui vocem passiuam habent in electione Definitorum. Vocales autem habitis huiusmodi listis, sceligent nomina quatuor Patrum ex vocalibus, quos in Definitores eligi voluerint, & omnibus alijs nominibus detractis tantùm illa quatuor nomina listæ adhærentia relinquant, & ea in vase ad id præparato, vel circumcirca delato à scrutatoribus, istis videntibus, sed non legentibus nomina ipsa ponant. (Sciendum tamen, quod non possunt eligi, qui Capitulo proximè præterito Definitores electi fuerunt, sicuti nec potest aliquis seipsum eligere, quod dicendum etiam est in electione P. Vicarij Generalis, & Visitatorum; quapropter ex lista bonum erit auferre nomen eius, cui lista datur, sicuti etiam nomina P. Vic. Gener. Definitorum, & Visitatorum præteritorum;) Subinde scrutatores nomina ipsa in lista vocalium relicta calculantes, illos quatuor, quorum nomina à pluribus posita inuenerint, notabunt in scriptis, & eos antiquior scrutatorum publicè in Capitulo pronũciabit hoc modo.

In nomine Domini N. Iesu Christi Benedicti. Amen. Anno eiusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo die mensis Ego Fr Sinforianus de Strambino antiquior scrutaorum huius Capituli nomine meo,& nomine omnium, ad quos præsens pertinet electio, eligo in Definitores præsentis Capituli Generalis nostræ Congregationis RR. PP. in Christo Fratrem Pantaleonem de Crema. Fr. Aurelium de Ferraria. Fr. Melchisedech de Taurino,& Fr. Polidorum de Macerata.
Et tunc, qui electi fuerint coram P. Præsidente genuflectant, qui

eos confirmabit, dicens. *Et ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte confirmo vos in Definitores huius Capituli Generalis nostræ Congregationis dans vobis omnem auctoritatem, & potestatem, quam cæteri Definitores Capituli nostri Generalis huiusmodi solent habare; In nomine &c.* Et deosculata manu P. Præsidentis sedeant post P. Vicarium Generalem absolutum ordinem seruantes professionis. Si in electione Definitorum, & Visitatorum inueniantur aliqui in vocibus æquales illius præualebit electio, qui anterior fuerit professione.

13 Sequitur electio duorum Patrum Visitatorum, qui maiores dici solent, quæ vel ipsa die Sabbati, si tempus erit, vel etiam post celebratum definitorium antequam soluat Capitulum pro libito P. Præsidens poterit fieri. Sic itaq; P. Præsidens coram toto Capitulo congruum de Visitatoribus eligendis pro biennio sequenti sermonem habebit, & postea per scrutatores singulis vocalibus vna dabitur scheda, vel lista cum nominibus Patrum vocem passiuam pro Visitatoratu habentium, & ea omnia seruabunt, quæ diximus in electione Definitorum, sed postquam scrutatores calculauerint electiones scribant nomina quatuor Patrum, in quos plures conuenerint, & antiquior eorum, alta, & intelligibili voce pronunciabit hoc modo.

In nomine Domini nostri &c. isti sunt quatuor Patres, qui habuerunt plures voces in electione Visitatorum .s. R. Patres in Christo Fr. Possidonius de Forolinio, F. Misael de Luca, Fr. Rusticus de Romano, & Fr. Bonushomo de Sorexina. Quibus pronunciatis singulis vocalibus dabitur vna ballotula, & antiquior scrutatorum acceptis in manibus duabus bussulis procedet ad ballationem singulorum quatuor nominatorum, incipiendo à maioribus secundum professionem. Sed prius dicat: *Patres vocales, nunc proponitur Reu. D. in Christo Frater Possidonius de Forolinio, qui vestrum vult eum in Visitatorem nostræ Congregationis eligere, ponat ballotulam suam in bussula alba, qui autem non, ponat eam in nigra.*

14 Et ordinatè præsentabit bussulas omnibus modo consueto. Et illi duo, qui ex prædictis quatuor habuerint plures ballotulas in bussula alba electi esse censeantur; Quos antiquior scrutatorum alta voce pronunciabit dicens. *In nomine D. N. I. C. benedicti.*

Amen. Anno eiusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo die mensis Ego Fr. Sinforianus de Strambino senior scrutatorum huius Capituli nomine meo, & nomine omnium, ad quos præsens spectat electio eligo in Visitatores nostræ Congregationis Reu. Patres in Christo. Fr. Misael de Luca, & Fr. Rusticum de Romano; tunc electi genua flectant coram P. Præsidente, quos confirmabit dicens: *& ego auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa confirmo vos in Visitatores nostræ Congregationis dans vobis omnem auctoritatem, & potestatem in spiritualibus, & temporalibus, quam cæteri Visitatores eiusdem solent habere. In nomine Patris.*

15 De modo celebrandi definitorium sicuti de rebus in Definitori expendendis ordinem habebis Ritu sequenti. Completis autem omnibus, quæ tum à Capitulo, tum à Definitorio saltem quoad dispositionem Priorum, & familiarum facienda sunt, hora, quæ P. Præsidenti congrua videbitur, ad sonum campanellæ, conuocabitur Capitulum, ad quod omnes tam vocales, quam non vocales conuenire debent. Quibus ordinatè congregatis, P. Præsidens dicat: *Adiutorium nostrum &c.* Deinde clara subdat voce.

Recitentur nostræ Congregationis, es singulorum locorum ipsius Benefactores viui.

Tunc P. Vicarius Generalis electus, & confirmatus assurgens dicat.

Sacrificijs, & orationibus omnium Congregationis nostræ Patrum, ac Fratrum Beatissimum Patrem Christi Vicarium Alexandrum Papam septimum commendo, Eminentissimorũ Cardinalium Sacrum Collegiũ, sed precipuè nostrum Eminentissimum, totiusq; Ordinis Protectorem N. de N. sic Patrem Priorem Generalem Religionis nostræ, ac Episcopos Ordinarios locorum, in quibus, domus, & Monasteria nostræ Congregationis existunt. Commendo pariter Serenissimum Imperatorem, Reges, Respublicas, Duces, & alios Principes, & Vniuersitates fidelium, cum iustitia regentes, præcipuè verò Ordini nostro, & Congregationi fauentes. Denique Benefactores omnes in genere, & specie commendo, præsertimque Dominos N. N. (hic si placet recolendi sunt nominatim Benefactores illi, qui specialia beneficia eo biennio Congregationi, vel Monasteriis in particulari contulerunt; sin autem ommittantur.) Idem subindè facient singuli Priores Conuentuum,

si

si nempè P. Præsidenti videbitur, commemorando per ordinem viuos ipsorum Benefactores.

15 Pro quibus P. Præsidens omnibus Conuentibus in genere, & cuilibet Fratri nostræ Congregationis in specie missas, psalmodias, & alias orationes iniungat, præcipuè verò dicat.

Quilibet Prior in Conuentu suo cum ad locum peruenerit missam vnam pro defunctis fratribus, sororibus, familiaribus, confratribus, & benefactoribus nostræ Congregationis, & aliam de Spiritu Sancto pro viuis decantare faciat; Et quilibet Sacerdos tres missas pro defunctis prædictis, & tres de Spiritu Sancto. Quilibet Clericus vnum Psalterium cum Gloria Patri pro viuis, & alterum cum Requiem pro defunctis. Quilibet Conuersus quingenta Pater noster cum requiem pro defunctis, & alia quingenta Gloria Patri pro viuis benefactoribus dicat.

16 Quibus expletis omnes surgant, & stantibus in locis suis Cantor incipiat sine nota psal. *Ad te leuaui oculos meos &c. Gloria Patri &c.* Deinde P. Præsidens dicat.

℣. *Saluos fac seruos tuos, & ancillas tuas.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Prætende Domine fidelibus famulis, & famulabus tuis dexteram cęlestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Dominum nostrum Iesum &c.

17 Deinde, vel immediatè post, vel alia hora agatur de culpis generaliter coram P. Præsidente, surrecto nempe vno ex vocalibus; qui positis genibus coram P. Præsidente nomine omnium, culpam dicat: *Pater Reu. dico meam culpam &c.* vtendo formula posita Ritu 21. num. 3. & Pater Præsidens pęnitentiam de more iniungat. Post hæc Priores sigillatim officiũ Prioratus in manibus P. Præsidentis sigillum præsentantes simpliciter renuntiabum, quę sigilla P. Præsidens acceptando, & eosdem ab officio Prioratus absoluendo dicat singulariter.

Et ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte accepto renunciationem tuam, & absoluo te ab officio Prioratus Conuentus S. Augustini N. In nomine Patris &c.

Et sic de singulis suo modo respectiuè fiat.

18 His peractis legantur (post hortationem P. Præsidentis ad perfectam omnium in Capitulo statutorum obedientiam) definitiones, si quæ factæ sunt, nec non Priorum, & familiarum dispositiones. Cum autem pronunciatum fuerit, quem Priorem constituerint S. Augustini Cremæ; is qui nominatus fuerit statim surgat, & coram P. Præsidente genua humiliter flectat in terram. Cui P. Præsidens sigillum illius Conuentus tradens in manibus, ipsum in officio Prioratus confirmabit dicens hæc verba: *Et ego auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte confirmo te in Priorem S. Augustini Cremæ dans tibi omnem auctoritatem, & potestatem in spiritualibus, & temporalibus, quam cæteri Priores dicti Conuentus solent habere. In nomine Patris &c.* & Prior deosculata manu P. Præsidentis sigillum accipiat, & ad locum accedat suum, & successiuè legatur familia. Eodem modo de cæteris Prioribus ordinatè fiat. Cantabitur postea *Te Deum laudamus &c.* & tunc omnes bini, & bini ad titulum Capituli se inclinantes ad Ecclesiam procedant, & omnes campanæ pulsentur. Finito verò Cantico P. Præsidens stans in medio coram Altari maiori, dicat, in nota alta voce.

℣. *Saluos fac seruos tuos.*

℟. *Deus meus sperantes in te.*

℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eos.*

℣. *Domine exaudi orationem &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & viam famulorum tuorum in salutis prosperitate dispone, vt inter omnes viæ, ac vitæ huius varietates tuo semper protegantur auxilio. Per Dominum &c.

19 Deinde P. Præsidens, & P. Vicarius Generalis electus consedeant, & cæteri genibus flexis dicant: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* Postea P. Vicarius Generalis, aut P. Præsidens de ipsius commissione, & auctoritate dicat: *Misereatur vestri omnipotens &c. Indulgentiam, absolutionem &c. Dominus Iesus Christus vos absoluat, & ego auctoritate, quod vigore indulti apostolici fungor in hac parte, absoluo vos à vinculo excommunicationis maioris, & minoris, si quam,* vel

vel quas incurristis, & à participatione cum excommunicatis, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium. In nomine &c. Eadem auctoritate absoluo vos à sententia suspensionis, & interdicti, & dispenso vobiscum super macula irregularitatis, si quam, vel quas fortè contraxistis, & habilito vos executioni, & susceptioni ordinum, & officiorum Sanctæ Matris Ecclesiæ, & nostri ordinis. In nomine &c. Eadem auctoritate absoluo vos à communibus transgressionibus regulæ constitutionum, definitionumq; nostrarum, ac præceptorum superiorum vestrorum, & à pænitentijs neglectis. In nomine &c. Subdat postea. *Concedo licentiam omnibus, & singulis, vt vobis eligatis Confessorem idoneum, & approbatum de nostra Congregatione, qui auctoritate sua vos absoluere possit in foro conscientiæ, quemadmodum ego ipse præstare possem, hocq; semel tantum infra Pentecostem, quo ad eos, qui nunc Capitulo Generali adsunt, quo ad absentes verò infra quindecim dies postquam hoc sciuerint.*

20 Demum R. P. Præsidens potestatem sibi, ac definitorio reseruabit, hoc modo pronuncians clara voce.

Reseruamus nobis auctoritatem, & potestatem determinandi, definiendi, statuendi, reformandi, corrigendi, & emendandi, nec non mutandi, & confirmandi quæcunq; gesta sunt, quamdiù Nos, & Definitores omnes simul erimus. Quo dicto P. Præsidens, vel P. Vicarius Generalis omnibus benedicat, dicens.

Pax, & Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filij eius Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

℣. *Adiutorium* &c. ℟. *Qui fecit* &c.

Sicq; soluat Capitulum.

21 Quia verò alia multa occurrunt, quæ durante Capitulo Generali exequi oportet; idcircò sciendum est primò, quod in primo Definitorio Capituli Gener. eligendi sunt tres Patres periti, & experti ex vocalibus Capituli, qui sint iudices causarum omniũ Capituli, tam Fratrum, quam etiam secularium cum Fratribus, qui singulorum causas audientes, literasq; rationum Conuentuum, & ipsorum debita, & credita calculantes, grauiora definitorio referant, leuiora verò iudicent, & terminent.

Secundò iuxta decretum Sacræ Congregationis 21. Sept. 1624.

de mãdato Vrbani VIII. sex alij Patres ex grauiorib⁹ eligi debent, quorũ assensu,& consilio eijci possint à Congregatione incorrigibiles, seruatis tamen ijs, quæ in eodem decreto seruanda statuuntur.

Tertiò, quod coram toto Capitulo Bulla legatur ad Sanctam Inquisitionem attinens Vrb. VIII. 14. Aprilis 1633. incipit: *Sanctissimus Dominus noster sedulo incumbens*, qua commonentur omnes de iniuncta omnibus obseruantia, & executione literarum Apostolicarum ad sacrę Inquisitionis officium pertinentium.

Quartò, quod Capitulo Generali durante non solum in Conuentu, vbi Capitulum celebratur, sed in omnibus Congregationis Monasterijs, & Ecclesijs celebrari possit officium duplex iuxta indultum Alexandri Papæ VI., qui de anno 1498. 26. Martij postquam prorogauit auctoritatem Præsidentis ad totam Capituli durationem subdit. *Quodq; huiusmodi vestro Generali Capitulo durante liceat vobis singulis diebus eiusdem duplici maiori officio fungi, seu illud celebrare indulgemus.*

Quintò, quod officium diuinum in loco Capituli celebrandum, & missæ cantandæ, de die in diem à Correctoribus iuxta ordinem, & seriem nationum deputentur; hoc videlicet ritu, vt semper Fer. 5. post Dominicam 2. cantetur missa à P. Vicario Generali absoluendo, & ab omnibus Fratribus chorus officietur, præsertimque à nationalibus eius, quorum etiam erit munus Altari inseruire; Sabato autem à P. Præsidente Capituli, & ab omnibus officietur chorus, & præcipuè à nationalibus, ex quibus seligendi erunt Ministri. Si autem contingat P. Præsidentem, & P. Vicarium Generalem absoluendum esse eiusdem nationis, tunc pro libito eorum eligendi erunt Ministri, vel alia natio poterit subrogari. Cæteris verò diebus seruabitur ordo Patriarum, & nationum, qui talis erit.

Natio Veneta, quæ omnes continet Conuentus Veneti Dominij.

Natio Pontificia omnium Monasteriorum status Ecclesiastici.

Natio Mediolanensis omnes Conuentus comprænhendens Mediolanensis Ducatus.


Natio Genuensis, & Tusca omnium Monasteriorum Liguriæ, & Tusciæ.

Na-

Natio Pedemontana omnium Conuentuum, quæ ſub Dominio Ducis Sabaudiæ continentur.

Natio Ducalium, quæ Monaſteria Mantuani, Mutinenſis, Placentini, & Bozoli Ducum compræhendit.

Sextò ſingulis tandem diebus Capitulo durante ſint prædicatores deputati, qui ante prandium concionem habeant, quorum vnus Ciuitati, vel loco annunciet Capitulum Dominica ſecunda poſt Paſcha, alter verò ſingulis Ciuibus Dominica quarta pariter poſt Paſcha gratias agat, & Lectores, ſeu Cathedratici, qui poſt prandium expoſitas concluſiones eorum omnibus defendant.



RITVS XXXVI.

Celebrandi Definitorium Capituli Generalis, vel Diætæ.

1  Reato in Capitulo Generali Patre Vicario Generali, (*Const. cap. 26. cap. 27. cap. 30. Rub. 11. & 17. cap. 1. & 3.*) electisq; Definitoribus, sequentibus diebus conuocabitur Definitorium, ad quod spectabit Priores locorum instituere, Visitatores minores eligere, Conuentuum Vicarios deputare, Procuratorem Generalem, Socium, & Secretarium, item Sacristam, & Procuratorem Conuentus Romæ creare, definitiones facere, cæteraq; omnia præstare, quæ in constitutionibus enumerantur, passimq; inueniuntur. Constituitur autem Definitorium ex Patribus Præsidente, Vicario Generali electo, Vicario Generali absoluto, quatuor Definitoribus electis, & quatuor Visitatoribus anni tunc proximè præteriti; nec vnquam minus, quam ex nouem Patribus confici potest, ita vt si aliquis ex Visitatoribus fuerit in Vicarium Generalem electus, & alius, aut alij, vel mortis causa, vel alio accidente defecerint, eo casu subrogandi sint illi, qui post quatuor Definitores electos plures habuerunt voces.

2 Congregatis itaq; Patribus istis in loco decenti, & secreto, & omnibus genua in terram flectentibus, P. Præsidens incipiat sine nota: *Veni Creator spiritus &c.* & alternatim totum dicatur.

℣. *Emitte spiritum &c.* ℟. *Et renouabis &c.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione

gau-

gaudere. Per Dominum nostrum &c. in vnitate eiusdem &c.

OREMVS.

Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cępta finiatur. Per Christum &c.

3 Deinde surgentes ad paratam ibidem tabulam, super quam commodè scribere possint, hoc ordine consedebunt videlicet primò P. Præsidens in capite mensæ, à dextris P. Vicarius Generalis electus, à si sinistris P. Vic. Gen. absolutus, subindè quatuor Definitores, duo à dextris, & duo à sinistris iuxta primogenita professionum, & eodem ordine quatuor Visitatores. Sic igitur consedentibus dicat P. Præsidens.

℣. *Adiutorium nostrum.* ℟. *Qui fecit &c.* ℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.* ℣. *Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat. Et fidelium animæ per Dei Misericordiam requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Subinde idem P. Præsidens omnes hortetur, vt omnibus tractandis, ac definiendis solum Deum, religionis zelum, & obseruantiæ augmentum, remotis passionibus, odio, ac amore, præ oculos habeant; Præcipiatq; eis, vt ea, quæ in definitorio tractari, proponi, aut decidi contigerit, nulli extraneo, quouis modo, à corpore definitorij reuelent, absq; ipsius definitorij speciali commissione, & licentia; In fine vero, quando collegium soluere, & locum definitorij exire voluerint, puta ratione prandij, vel cęnæ; dicat P. Præsidens. ℣. *Adiutorium &c.* ℟. *Qui fecit etc.*

4 Quandocunq; verò ad ipsum locum definitorij deinceps eodem, vel sequentibus diębus, durante definitorio, collegialiter eos congregari contingeт, postquam (vt præmissum est) ordinatò consederint. P. Præsidens dicat.

℣. *Adiutorium &c.* ℟. *Qui fecit &c.*

℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.*

℣. *Dominus nos benedicat &c.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus, qui corda &c. Actiones nostras &c. vt supra. Exinde sedentes ad ea, quæ tunc instabunt exequenda procedant.

5 Eli-

5 Eligantur pariter vnus, vel plures Cancellarij definitorij, qui notent, & scribant ea, quæ ex mandato P. Præsidentis notanda, & scribenda sunt.

Item duo Hostiarij ordinentur, quorum alter semper prope hostium definitorij præsto sit, alter verò per domum citatos inquirendo, sicut oportuerit, matura festinatione discurrat.

6 Priorum electiones, item Visitatorum, nec non decreta, & decisiones maioris ponderis fiant per secreta suffragia; propositionesq; ac determinationes in peculiari, quinterno notentur, ac describantur, & in fine definitorij manu propria P. Præsidentis, nec non omnium definitoris assistentium subscribatur. Quæ autem possint, vel debeant in definitoro tractari expresse habes in constitutionibus exarata cap. 30. à num. 3. & deinceps. Item passim in Rubricis definitionũ, ac in alijs definitionibus posterius editis.

7 Cum autem dicta celebranda est, tunc conuocabitur à P. Vicario Generali definitorium, quod ex nouem Patribus constitutũ erit .s. Patre Vicario Generali, Patribus Definitoribus, ac Visitatoribus electis in Capitulo Generali proximè præterito. In quo idem omninò ritus seruandus erit, ac in definitorio Capituli Generalis. Cæterum tempore Dietæ non minus quam tempore Capituli Generalis publicè legenda erit Bulla de iniuncta omnibus obseruantia, & executione literarum Apostolicarum ad sacræ Inquisitionis officium pertinentium; Incipit: *Sanctissimus Dominus noster &c.* 14. Aprilis 1633. Si autem aliquis ex definitorio assistentibus defuerit, poterit P. Vicarius Generalis alium, vel alios subrogare, illum .s. vel illis cæteris proponendo, & per vota secreta eligendo, antequam definitorium incipiatur.



RITVS XXXVII.

Seu formula disponendi, & describendi in Capitulo Generali familias quorumcumq; Conuentuum Congregationis.

1 DIspositis in Capitulo Generali Prioribus, & familijs singulorum Congregationis Conuentuum, collocatis collocandis, remotisq; remouendis in peculiari folio singillatim singulæ familiæ describentur cum reuisione P. Socij apppositione sigilli maioris Congregationis, & subscriptione Patris Vicarij Generalis in fine cuiuslibet. Formula autem huiusmodi dispositiones describendi talis erit.

In nomine D. N. I. C. benedicti. Amen. Anno eiusdem millesimo sexcentesimo sexagesimo primo (exprimitur annus, quo celebratum est Capitulum) *de mense Maij* (vel Aprilis si hoc in mense contigit) *celebratum est Capitulum Generale nostræ Congregationis in Conuentu nostro Sancti A. de B. In quo quidem Capitulo Præsidens fuit Reu. Pater in Christo F. Narnus de Bergomo* (ponuntur nomina propria omnium, & singulorum Patrũ, & Fratrum in dispositionibus relatorum) *antiquior Definitor Capituli Generalis immediatè præteriti* (si Definitores fuerint per Breue Apostolicum dicitur: *Antiquior, Definitor vt in Breui Sanctissimi D. N. proximè præterito.*) *Et inuocato prius Spiritu Sancto vnanimiter, & vna voce electus fuit in Vicarium Generalem nostræ Congregationis Reu. in Christo Pater Honofrius de Papia. Definitores fuerunt RR. PP. F. Rabanus de Roma, F. Consaluus de Cremona, F. Amator de Ipporedia F. Fernandus de Faentia.* (Si fuerint Priores alicuius Monasterij exprimitur post singulorum nomina,) *Adfuit quoq; Reu. Pater in Christo F. Iuniperus de Bononia Vicarius Generalis absolutus. Interfuerunt etiam RR. PP. Visitatores biennij immediatè præteriti F. Candidus de Tolentino; F. Gelasius de*

Sa-

Sauona, F. Odoardus de Mutina, & F. Samuel de Ponteuico. Qui omnes definierunt, & ordinauerunt, vt infra.

Dispositio Conuentus S. Augustini Cremæ.

R. P. Vriel de Crema Conf. Præd. S. T. L. Prior Conuentus.
R. P. Timoteus de Crema C. P. L. Prior vacans.
V. P. Quietus de Crema C. Vicarius.
V. P. Alipius de Bergomo C. P. Lector.
P. Sinibaldus de Mediolano C.
P. Rolandus de Ponteuico C. — ex Brixia.
P. Pallans de Soroxina. — ex Cremona.
P. Tiberius de Foroliuio. — ex Imola.
P. Balthassar de Gabiano C. P.
P. Eliseus de Crema C. P. L.
P. Pompilius de Alexandria.
P. Geruasius de Nimbro C.
P. Puccius de Castiliono. — ex Bargijs.

Clerici.

F. Ersilius de Bononia Diac.
F. Rosimundus de Bozulo. — ex Mediolano.
F. Filidaurus de Mantua. — ex Mantua.
F. Andronicus de Crema.

Conuersi, & Commissi.

Santinus de Bagnatica. — ex Bergomo.
Carolinus de Caluatono.
Humiliatus de Luzzana.
Melodius de Saxeto. — ex Roma.
Pacificus de Crema.

Remoti.

R. P. Annibal de Crema Prior. — Ferrariæ.
P. Fabricius de Crema Lector. — Ferrariæ.
P. Iouita de Brixia. — Brixiæ.
P. Possidonius de Papia, — Romæ.
F: Reginaldus de Macerata cl. — Bononiæ.
Serenus de Asula. — Lemine.

Visitatores nostræ Congregationis erunt RR. PP. Macarius de Como, P. Sempronius de Genua, P. Palladius de Crema, P. Nembridius de Bo-


Bozulo. Procurator Generalis in Curia Romana P. Adeodatus de Taurino. Socius R. P. Vic. Generalis P. Erculanus de Ferraria. Futurum Capitulum Gener. ponimus in Conuentu nostro Sancti B. de V. Omnia demum, ac singula ponimus in pectore, arbitrio, & voluntate R. P. Vic. Gener. Congregationis.

Socius vidit.

F. Honofrius de Papia Vic. Gen. manu propria.

Locus ✠ sigilli.

Et hic ordo seruandus est in dispositione omnium familiarum mutatis mutandis, hac perpetua regula, vt semper priores vacantes ponantur statim post Priorem Conuentus, postea Vicarius, deinde Patres, & Fratres iuxta primigenia professionis eorum, cum ipsorum titulis, & officijs. Si in Conuentu adsunt Nouitij collocantur immediatè post Clericos, & ante Conuersos. Conuersorum Nouitij vltimum locum tenent; Præsules verò Congregationis ante ipsum Monasterij Priorem poni debent. Sic exarata Conuentus cuiuslibet dispositione electo Priori tradetur in proprio Conuentu publicè legenda.



RITVS XXXVIII.

Mittendi ad P. Reuerendiss. Generalem Ordinis acta Capitularia Congregationis.

1 PEracto Capitulo Generali Congregationis notificanda sunt P. Reuerendiss. Generali Ordinis, quæ in eodem Capitulo acta sunt, simul ab eo petendo confirmationem P. Vicarij Generalis, iuxta ea, quæ in instrumento concordiæ leguntur. Forma autem, & exemplar literarum mittendarum Reuerendiss. P. Generali, in quibus acta capitularia continentur huiusmodi erit.

In nomine D. N. I. C. benedicti. Amen. Celebratum est hoc anno die mensis Capitulum Generale Congregationis nostræ Lombardiæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini in Conuentu Sancti A. de C. in quo quæcumq; acta sunt, vt moris est Paternitati tuæ Reuerendiss. mittimus. In eo præfuit iuxta morem nostræ Congregationis antiquior Definitor anni præteriti R. Pater B. de D. & Vicarius Generalis electus fuit R. Pater E. de F. Definitores fuerunt Pater G. de H., Pater L. de I., Pater H. de M.; & Pater O. de N. Definitiones nullas fecimus, quæ contraria sint constitutionibus Ordinis, & nostris definitionibus antiquis.

Dispositiones Priorum, Vicariorum, & Lectorum, sunt infrascripta vlz.

Dispositio Conuentus Sancti Augustini Cremæ.

R. P. Vriel de Crema. Prior.

P. Quietus de Crema. Vicarius.

P. Alipius de Bergomo. Lector.

Dispositio Conuentus S. Mariæ de Populo Romæ.

R. Pater Ascanius de Bononia. Prior.

P. Marcellus de Mediolano. Vicarius.

P. Gaudentius de Nouaria. Lector.

Dis-

Dispositio Conuentus S. Nicolai de Tolentino.

R. P. Tadeus de Luca. Prior.

P. Anselmus de Mantua. Vicarius.

P. Geminianus de Mutina. Lector.

Dispositio Conuentus S. Mariæ de Cella Ianna.

R. P. Sirus de Genua. Prior.

P. Baudolinus de Alexandria. Vicarius.

P. Prosperus de Regio. Lector.

Dispositio Conuentus Sancti Augustini Bergomi.

R. P. Seraphinus de Bergomo. Prior.

P. Faustinus de Brixia. Vicarius

P. Pètronius de Bononia. Lector.

Dispositio Conuentus S. Mariæ Coronatæ Mediolani.

R. P. Ambrosius de Mediolano. Prior.

P. Cassianus de Imola. Vicarius.

P. Caterinus de Tolentino. Lector.

Dispositio S. Iacobi Florentiæ.

R. P. Pastor de Taurino. Prior.


P. Euasius de Casali. Vicarius.

P. Homobonus de Cremona. Lector.

(Sic enumerabuntur dispositiones reliquorum Conuentuum eodem ordine, & ritu.) *Visitatores electi sunt, P. Macarius de Como, P. Sempronius de Genua, P. Palladius de Crema, P. Nembridius de Bozelo, Socius P. Vicarij Generalis P. Ercolanus de Ferraria. Futurum Capitulum Generale Congregationis*, positum fuit in Conuentu S. Mariæ de M. *Vt ergo R. P. Vicarius Generalis nostræ Congregationis animo promptiori suum munus exequatur à P. T. Reuerendissima petimus, vt suam benedictionem, & confirmationem illi mittere dignetur. Et si qua de re eum monere voluerit, moneat, atq; ad vigilandum super gregem sibi commissum hortetur. Parati namq; sumus ad complectendum monita, & obtemperandum Paternis exortationibus Paternitatis tuæ Reuerendissimæ, quam Deus conseruet.* Et subscribantur manu P. Præsidentis, P. Vicarij Generalis, & P. Definitorum.

RITVS XXXIX.


Recipiendi Patrem Vicarium Generalem, & Patres Visitatores cum ad Monasterium visitandum peruenerint.

1  Ntequam P. Vicarius Generalis ad aliquod Monasterium pro Visitatione accedat, ornetur illius Ecclesia, sicuti in solemnibus, & præsertim Altare maius cum cereis, seu candelis tempore debito accendendis. Die antecedenti ipsius P. Vicarij Generalis aduentum pulsentur in sero campanæ in signum lætitiæ, & hora determinata eo accedente ad Ecclesiam armonico sono, sicuti præcedenti die pulsentur campanæ, nec non organa, si quæ sunt. Adstent Fratres omnes hinc inde versis vultibus intra Ianuam Ecclesiæ, & P. Superior, vel Vicarius superpelliceo indutus, asperforium tenens aqua benedicta madefactum, illud P. Vicario Generali in ingressu Ecclesiæ porrigat, qui accipiens seipsum prius, deinde Fratres omnes profundè inclinatos aspergat, & Superiori asperforiũ reddet. Ex inde Fratres bini, & bini versus Altare maius ante P. Vicarium Generalem incedant, qui ad reclinatorium ad hunc finem paratum peruentus genua flectat, & oret, quod etiam cæteri omnes post ipsum Patrem Vicariũ Generalem præstabunt. Completa oratione, à Priore, vel Superiore loci deducatur P. Vicarius Generalis ad sedendum super sedem, in loco opportuno paratam, ad quem Prior ipse, & Patres omnes, ac Fratres cum debitis reuerentijs accedent, ad illius manus deosculationem; non tamen turmatim, sed ordinatim incipiendo ab antiquioribus, genuflectentes vno saltem genu in signum obedientiæ; Quos P. Vicarius Generalis grato animo recipiet, & hilari facie admittet. Finita deosculatione manus, P. Vicarius Generalis omnes Fratres suos genuflexos,

flexos, facieq; ad ipsum Conuersos benedicet dicens *Pax, & Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti ✠ descendat super vos, & maneat semper.* ℟. *Amen.*

Quibus terminatis Prior, vel Superior accipiendo P. Vicarium Generalem illum ad cubiculum suum cum alijs Patribus comitabuntur.

2 In minoribus tamen Conuentibus poterit P. Vicarius Generalis peracta oratione Fratres Monasterij ad manus deosculationem stans recipere, illosque genuflexos benedicere. Idem ferè ritus seruandus erit in receptione Patrum Visitatorum, prætерquamquod non erit necesse campanas, & organa pulsare, sicuti neque post orationem sedem adaptare pro Fratribus ad manum deosculationem recipiendis; sat enim erit, si Patribus Visitatoribus stantibus eorum manus Fratres deosculentur.



RITVS XXXX.

Visitationis Patris Vicarij Generalis.

1 POstquam Pater Vicarius Generalis ad aliquem Congregationis Conuentum peruenerit, sequenti, vel altera die demandabit missam cantari de Spiritu Sancto, vel priuatim celebrari pro fælici visitationis successu, postea die, & hora, quæ sibi videbitur opportunior, cunctis Fratribus ad sonum campanellæ in Capitulum (vt moris est) conuocatis, flexis genibus, & sine nota incipiet hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* quem alternatim de more prosequentur cæteri, quo finito dicetur.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera &c.*

℣. *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.*

℟. *Visita nos in salutari tuo.*

℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, vt quæ sunt bona, nutrias, & pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Mentes nostras quæsumus Domine lumine tuæ claritatis illustra, vt videre possimus quæ agenda sunt, & quæ recta sunt agere valeamus. Per Christum &c.

Subdat deinde P. Vicarius Generalis.

℣. *Adiutorium nostrum &c.* ℟. *Qui fecit &c.*

℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.*

℣. *Dominus nos benedicat &c.* ℟. *Amen.*

2 Tunc consedentibus omnibus verbum habebit aliquod opportunè sibi benè visum de aliqua spirituali, & vtili materia, omnes

nes in fine hortando, vt Deum solum, & conscientiam præ oculis habentes, semotis, amore, odio, timore, atq; omni humano respectu, sincerè, fraternè, paternè, & ex religionis zelo eidem dicant, quæ in Monasterio, atq; etiam circa personas nouerint correctione, aut emendatione digna, inutilia ommittendo, & friuola, vel ea, quæ alias fuerunt correcta. Quapropter vt facilius vitia, & excessus, si qui sint, expurgentur, statim cunctis à P. Secretario legi mandabit excommunicationis sententiam in Constitutionibus contentam, tenoris sequentis.

Nos Frater Fulgentius Alchisius Casalen. Congregationis obseruantiæ Lombardiæ Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini Vicarius Generalis, licet indignus. Vos omnes, & singulos Patres, & Fratres huius Conuentus S. Augustini N. eiusdem Congregationis, ac voti rogamus, hortamur, & in Domino monemus, primo, secundo, & tertio, & vobis in virtute Sancti Spiritus præcipimus per obedientiam salutarem, quatenus remotis, odio, amore, timore, pretio, & precibus dicatis nobis quantum in Domino poteritis veritatem in omnibus, de quibus à nobis requisiti, & interrogati fueritis; Ac insuper, quod si aliquid notabile scitis, vel audiuistis de R. Priore, vel Fratre aliquo, quod tolerari non debeat, nec deceat illud nobis charitatiuè reueletis; quod si aliquis vestrũ hoc præsens nostrum mandatum obseruare contempserit, ex nunc, pro vt ex tunc trina canonica monitione præmissa in his scriptis, licet inuiti, eum vinculo excommunicationis innodamus. Lecta, & lata fuit hæc sententia anno Domini die mensis in Capitulo Sancti Augustini N. Legatur etiam subscriptio.

Fr. Fulgentius Alchisius Casalen. Vicarius Generalis manu propria. Deinde in aliquo loco patenti, & publico affigatur, vt ab omnibus commodè huiusmodi sententia legi possit.

3 His habitis die, & hora P. Vicario Generali benè visis ad visitandam Sanctissimam Eucharistiam accedat, quapropter accensis super Altare cæreis, & intorticijs, ipse P. Vicarius Generalis superpelliceo, albaq; stola indutus, & eodem modo P. Superior Conuentus, vel Parochus, vel Sacrista, cum Acolito thuribulum cum incenso tenente, & Ceroferarijs, (si commodè fieri põtest) cæterisq; omnibus Conuentus Fratribus comitantibus, ante maius Al-

tare genuflexi sistant, solo tamen P. Vicario Generali in supremo Altaris gradu morante. Tunc surgens P. Sacrista in medio Altaris explicabit Corporale, deinde Tabernaculum aperiet, & extracto Sanctissimo Sacramento, illud super huiusmodi corporale collocabit. Mox P. Vicarius Generalis ministrante nauiculam sine osculis P. Sacrista incẽsum sine benedictione ponet in thuribulum, terque de more Sacramentum incensabit. Peracta incensatione, & reddito thuribulo voce parum eleuata Hymnum intonabit, vel cantabit. *Pange lingua gloriosi &c.* quem vsq; ad versum: *Tantum ergo Sacramentum &c.* exclusiuè Fratres omnes prosequentur; Et facta pausa ad dictum versiculum *Tantum &c.* ipse P. Vicarius Generalis cum P. Sacrista à sinistris ascendet Altare, & facta genuflexione, apertaq; pixide visitabit, & scrutabitur.

An ea, qua decet decentia Eucharistia asseruetur.

Quot sint particulæ in pixide, an recentes sint, & sine fragmentis.

An saltem bis in mense renouentur.

An Pixis sit argentea, intus deaurata, firmiter occludatur, commodè in nodo capiatur, in summitate operculi sit parua Crux, aut imago Crucifixi, & sub ea sit substrata aliqua corporalis pars.

An Tabernaculum sit intus serico coopertum, præsertim rubeo; aliquid aliud in eo præter pixidem asseruetur, eius ostiolum firmiter occludatur, claui deaurata, an vermes ingredi possint, aut minuta animalia, super illud sit conopæum, & vlterius vmbraculum, seu baldachinum.

4 Quibus diligenter perlustratis, factisq; iterum debitis reuerentijs Pixidem teget, & tunc descendet ad gradus Altaris, ac genuflexus intonabit *Tantum ergo &c.* Deinde ministrabitur, vt prius incensum, & thurribulum, quo triplici ductu Sacramentum eodẽ modo incensabit. Deinde tempore debito dicetur.

℣. *Panem de cęlo præstitisti eis alleluia.*

℟. *Omne delectamentum in se habentem alleluia.*

OREMVS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentia-

tia

tiamus. Qui viuis, & regnas per omnia sæcula sæculorum. ℞. *Amen.*

5 Post hæc P. Vicarius Generalis, & Fratres omnes genuflexi, pro libito ipsius P. Vicarij Generalis orabunt, pro Summo Pontifice, Eminentiss. Cardinali Protectore, Rege, Principe, vel Domino loci, Prælatis, & Fratribus Congregationis, Ciuitate ipsa, & loco, vbi situm est Monasterium, ac tandem pro Benefactoribus viuis dicendo Psalmum. *Ad te leuaui &c.* cum solitis versiculis: *Saluos fac &c. Mitte eis &c.* ac oratione. *Prætende Domine &c.* & demum pro fratribus, sororibus, ac Benefactoribus in Domino defunctis dicendo Psalmum: *De profundis &c.* cum solitis versiculis, & oratione: *Deus veniæ largitor &c.* quibus pro libito peractis P. Sacrista, & Acholitus, vel duo alij velum oblongum super humeros P. Vicarij Generalis imponent, qui solus ad Altare ascendet, & velatis manibus sumpta Pixide vertens se ad Fratres, illos semel signo crucis benedicet, & girum perficiens Pixidem reuerenter reponet super corporale: Tum genuflexione facta descendet ad gradum, vti prius, & amoto velo, Sacrista cum debita reuerentia Pixidem intra Tabernaculum collocabit, & ostiolũ claudet, sicq; omnes postea discedent: Est tamen adnotandum, quod si in visitatione Sanctissimi Sacramenti P. Vicarius Generalis particulas tetigerit parata debet esse aqua cum purificatorio, vt possit digitos abluere, & tergere, quam aquam P. Sacrista in sacrario reponet.

6 Post Visitationem Sanctissimæ Eucharistiæ poterit P. Vicarius Generalis Ecclesiæ Altaria, cæterasque eius partes visitare, deposito superpelliceo, & assumpto pro assistente P. Socio, à maiori Altari visitationem incipiendo. Diligenter autem inuestigabit.

An Altare longitudinem habeat, latitudinem, & altitudinem pro missa celebranda proportionatam; super illud sit nitida crux; tribus tobaleis operiatur, quarum Superior sit ita oblonga, vt hinc inde vsque ad terram pertingat; adsit in eo tabella secretarum, & Euangelij S. Ioannis; habeat aram debitæ mensuræ; in medio aliquantulum eleuatam, integram, & firmam cum tabula lignea subtus, & ante maius Altare semper lampas colluceat, & in lateribus infimi gradus sint candelabra maiora pro eleuatione Sanctissimi Sacramenti.

An reliquię Sanctorũ decenter teneantur, (*Def. 1644.*) & sub duabus clauibus diuersis, quæ à diuersis Patribus custodiantur.

An Confessionalia sint in loco patenti, & munita laminis, vel craticulis ferreis, aut ligneis cum foraminibus minutis, ac in ipsis affixa sit Bulla Cęnæ Domini, & casus Episcopales.

An vas aquæ benedictæ sit integrum, & mundum, & aqua sæpe in eo renouetur, & sit in Ecclesia piscina, in quam lotiones rerum sacrarum mittantur.

Videbit denique, an omnes Ecclesiæ partes, eo cultu, & nitore fulgeant, quæ domum Dei decet, & præsertim, si in ea aliquid reparandum, aut construendum fuerit.

7 Visitabit deinde Chorum, & Sacristiam. Circa Chorum obseruabit an adsint in eo libri necessarij, non laceri, vel vetustate consumpti, .s. Psalterium, Hymnarium, duo Antiphonaria de Tempore, & Sanctis, duo Gradualia pariter de Tempore, & Sanctis in nota, Breuiaria pro lectionibus, Manuale, martyrologium; Officium Ordinis S. P. Augustini, Octauarium, Officium Sanctorum, de quibus non fit mentio in Breuiario, vel quia nouiter inserti Officio, vel quia peculiares loci, Rituale Romanum, & Congregationis, Ordinarium loci, & an Hymni sint reformati ad præscriptum Bullæ Vrbani VIII., & hoc modo decantentur.

8 Circa Sacristiam videbit; An omnia illius ornamenta, paramenta, suppellectilia, & vasa sint integra, & nitida, non lacera, vel deturpata; adsint vestes sacræ cuiusuis coloris pro temporis diuersitate, benè, & rectè conseruentur, & custodiantur in armarijs, & locis proprijs; An Calices, patenæ, & alia sacra vasa sint argentea intus perfectè inaurata, & rectè firmata, & non maculata; ostensorium pro Sanctissimo Sacramento sit deauratum, vel argentatum, lunula semispheralis sit aurea, vel argentea, benè occludatur chrystallo, & in summitate sit parua crux, vel imago Crucifixi. An sint ibi missalia sufficientia tàm pro viuis, quàm pro defunctis, integra, & non lacera cum suis signaculis; Sit Rituale Romanum Pauli V. & Congregationis. Sit in aliquo loco affixa Bulla Cęnæ, Bulla ad Sanctam spectans Inquisitionem: Incipit: Sanctissimus Dominus noster &c. Edictum S. Officij Inquisitionis; Tabula festorum, quæ ex præcepto, consuetudine, voto,

aut

aut deuotione seruantur in illa Ciuitate, nec non Tabella obligationum, anniuersariorum, & missarum Monasterij. An adsit pariter Inuentarium omnium suppellectilium Sacristiæ. Item liber, in quo sint obligationes descriptæ, & alter, in quo mortui, qui in Ecclesia, vel Cemeterio sepeliuntur, exarentur, & vlterius liber introituum, & expensarum Sacristiæ. An tandem supra mensam, vbi Sacerdotes sacris vestibus induuntur sit aliqua crux, vel sacra imago, quæ pariter esse debet ad Oratorium præparationis Sacerdotum ad sacrum faciendum cum necessarijs tabellis precum, & orationum ante, & post celebrationem missæ recitandarum.

9 Inspectis ijs, quæ spectant ad Ecclesiam, Chorum, & Sacristiam poterit P. Vicarius Generalis visitare publicas Monasterij officinas, vel saltem inquirere ab eis, ad quos attinet ipsarum cura.

An sit in Monasterio inuentarium bonorum omnium, & suppellectilium, quæ siue in cællis Fratrum, siue in publicis reperiuntur officinis. An sit Archiuium, & quomodo custodiātur scripturæ, & instrumenta. An sit liber actuum capitularium, Item Regula B. P. Augustini, cum constitutionibus, & definitionibus Congregationis, nec non libri necessarij pro prima, & secunda lectione mensæ. An sit Biblioteca cum inuentario librorum, & quomodo custodiantur &c.

10 Peracta huiusmodi generali visitatione, in arbitrio erit P. Vicarij Generalis cellas Fratrum visitare, diligenterque perquirere: Si inueniat vestimenta non alba, & non religiosa; item cappas, quæ non sint ex panno, vel rascia appanata, calceos, & crepidas sæcularitatem spirantes, picturas profanas, pileos non decentes, arma prohibita, gladios extraordinariæ mensuræ, item aleas, vel taxillos, quæ indicent ludos prohibitos &c.

11 Post hæc poterit P. Vicarius Generalis accipere scrutinium Fratrum procedendo ab infimis vsque ad supremos, in quo quidem scrutinio examinabit de omnibus, quæ ad rectum spectant gubernium, tum spirituale, tum corporale Monasterij, reducendo ad capita sequentia examen.

Primum circa Chorum, & Ecclesiam, si pulsentur campanæ debitis horis, si diuinum officium, tàm diurnum, quàm nocturnum

ſcrutinium, quod in viſitatione Monaſterij S. Auguſtini N. dedit P. Fulgentius Alchiſius Vicarius Generalis Patribus, ac Fratribus Conuentus eiuſdem. Anno mense die

Vocatus acceſſit P. B de L. qui diligenter interrogatus, reſpondit vt infra, ſcilicet.

Super primum caput ſcrutinij reſpondit omnia, benè.

Super ſecundum reſpondit ſic, & ſic.

Super tertium reſpondit hoc, vel illud &c. & ita ſuper ſingula capita ſupra enumerata interrogabitur, & in fine propria manu ſubſcribat.

Qui ordo ſeruabitur in ſcrutinio cæterorum.

13 Peracto ſcrutinio, & viſitatis omnibus, quæ viſitanda ſunt correcta, & reformata, quæ correctione indigent, vel reformatione, ac examinatis Clericis, ſtudentibus, Confeſſoribus, ac Prædicatoribus, prout in definitionibus, hora P. Vicario Generali benè viſa, pulſataq; campanella Capituli Patres omnes, ac Fratres in Capitulo congregabuntur; vbi Pater Vicarius Generalis dicet.

℣. *Adiutorium noſtrum &c.* ℟. *Qui fecit &c.*

℣. *Benedicite.* ℟. *Deus.*

℣. *Dominus vos benedicat, & ab omni malo vos defendat, & ad vitam perducat æternam, & fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

Poſtea ſedentibus; idem P. Vicarius Generalis verbum habebit aliquod opportunum ad regularem obſeruantiam reſtituendam, & in fine per P. Secretarium alta, & intelligibili voce publicare faciet ordinationes, ſi quas fecerit; quibus habitis dicet: *Agamus de culpis*; & ſtatim omnes genua flectant, & culpam ſuam dicant, & vnus ad pedes P. Vicarij Generalis accedens nomine ſuo, & omnium culpam recitabit, dicens. *P. R. dico meam culpam Deo, & tibi &c.* vt habetur in Ritu 21. de actione culparum, num. 3. Exinde ad nutum P. Vicarij Generalis omnes pariter genuflexi dicent. *Confiteor Deo omnipotenti &c.* & P. Generalis Vicarius accepta ſtola ſubdet: *Miſereatur &c. Indulgentiam, abſolutionem &c.* Poſtea: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus per ſuam pijſſimam miſericordiam &c.* cum reliquis vſq; ad finem, quæ habentur in Ritu 13. de Abſolutione Generali num. 1.

14 Da-

14 Data absolutione generali iterũ sedentibus omnibus mentionem faciet P. Vicarius Generalis omnium Benefactorum in genere Congregationis, & illius Conuentus, tam viuorum, quam mortuorum dicens.

*Multa sunt beneficia, Patres, & Fratres in Christo dilectissimi, quæ quotidie nobis à Domino Deo per fideles suos misericorditer conferuntur, quibus viuimus, sustentamur, & recreamur; Vnde ne Domino Deo, & Benefactoribus vestris inueniamur ingrati, commendo sacrificijs, & orationibus nostris Summum Pontificem Alexandrum VII. Eminentissimum Dominum Cardinalem Protectorem, & me Generalem Congregationis Vicarium, & RR Patres Præsules, Procuratorem Generalem, Socium, Definitores, Visitatores, Priores, Patres, ac Fratres omnes totius Congregationis nostræ (*extra statum Ecclesiasticum subdet.) *Commendo etiam vobis Serenis. Regem N. vel Ducem, vel Principem huius Dominij, sub quo viuimus, ac omnes Benefactores, amicosue Confratres, ac familiares nostræ Congregationis, & præcipuè huius Conuentus; omnes item habitatores istius Ciuitatis, vel districtus. Multæ etiam sunt personæ, quæ in tribulationibus, & angustijs positæ, sæpè rogant commendari orationibus vestris habentes fiduciam, & deuotionem in eis, illas igitur vobis commendo, omnes, & singulas secundum earum fidem. Præterea commendo sacrificijs, & orationibus vestris animas omnium fidelium Defunctorum, in particulari verò animas parentum nostrorum Fratrum, & sororum, & amicorum Congregationis nostræ, & Benefactores, qui vobis annuales eleemosinas, vel quotidianas reliquerunt, vel pro quibus à suis nobis collatæ sunt, & conferuntur. Insuper commendo etiam animam Fratris N.* (hic recolendi sunt Fratres, vel Benefactores insigniores nuper defuncti) *vel talis personæ, quæ his diebus ex hac vita migrauit.*

Et si quæ essent obligationes, vel eleemosinæ datæ pro aliquibus animabus, pro quibus non esset plenariè satisfactum ob aliquam negligentiam, vel obliuionem. Ego accepto eas ad participationem missarum, & omnium bonorum operum nostrorum, donec fuerit pro eis satisfactum coram Domino Deo, pro quibus omnibus, & alijs merito nominandis tam viuis, quam defunctis dicamus: Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternã. ℟. *Am.* Et tunc à Fratrib⁹ dicatur Psal. *Ad te leuaui &c.* Postea *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison Pater &c.* ℣. *In*

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera nos &c.*
℣. *Saluos fac seruos tuos, &c.* ℟. *Deus meus &c.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor meus &c.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum Alexandrũ, quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice, da ei quæsumus verbo, & exemplo, quibus præest proficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito perueniat sempiternam: Et famulos tuos Cardinalem Protectorem, me Vicarium Generalem cum tota Congregationis nostræ familia ab omni aduersitate custodi: Salutem, & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, & gentes Paganorum, & Hereticorum, quæ in sua feritate, & peruersitate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Prætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Christum &c.

Post hæc dicatur pro Defunctis Psal. *De profundis &c.* cum *Requiem &c.* in fine. *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c.* ℣. *Et ne nos &c.* ℟. *Sed libera nos &c.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorum.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine exaudi &c.* ℟. *Et clamor &c.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMVS.

Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator quæsumus clementiã tuam, vt nostræ Congregationis Fratres, propinquos, & Benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, B. Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas. Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularumq; tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur. Qui viuis, & regnas in sæcula &c. ℣. *Requiem æternam &c.* ℟. *Et lux &c.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Tandem P. Vicarius Generalis omnes benedicat genuflexos dicens: *Pax, & Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ descendat super vos, & maneat semper.* ℟. *Amen.* ℣. *Adiutorium nostrum &c.* ℟. *Qui fecit cælum &c.* Et sic complebitur Visitatio.

RITVS XXXXI.

Visitationis Patrum Visitatorum.

1  IDem ferè Ritus erit in Patrum Visitatorum visitatione seruandus, àc P. Generalis Vicarij, cum hoc tamen discrimine, quod id, quod P. Vicarius Generalis per se solum præstare potest Patres Visitatores semper associati exequentur, vnde ea, quæ in singulari à P. Vicario Generali proferuntur, puta dicendo: *Commendo, præcipio absoluo &c.* A Patribus Visitatoribus in plurali erunt dicenda; & si vnus tamen ex ipsis loquatur. Debent autem Patres Visitatores acta describere visitationis ad præscriptum legum nostrarum, & hoc præcipuè in illis Monasterijs, in quibus maiorem agnouerint necessitatem. Ritus autem acta describendi erit huiusmodi.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Hæc est visitatio generalis, quam fecerunt Patres Pacomius de Florentia, & Macharius de Carignano Visitatores in Conuentu S. Augustini N. ad quem quidem Conuentum perueni die mensis anni prius eodem (vel sequenti) *die habito à P. Macario, altero Visitatorum breui sermone coram omnibus Monasterij Patribus, ac Fratribus Capitulariter congregatis, visitationem intimauimus, omnes hortando, singulisq; præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pęna, vt clarè, & distinctè veritatem aperirent, pro vt fuerint à nobis interrogati, & pro vt necessitas videbitur postulare.*

Deinde eadem (vel altera) *die accessimus ad Sanctissimam Eucharistiam, Ecclesiam, Chorum, & Sacristiam, & diligenter Visitauimus ea, quæ visitanda sunt, aliquas ordinationes faciendo, quæ infra ponentur. Post hæc vocauimus Fratres ad scrutinium hoc ordine videlicet die vocatus accessit P. N. de A. qui diligenter interrogatus respondit, vt infra.*

Super primum caput &c.

Super secundum &c. & sic de singulis modo dicto in Ritu visitationis P. Vicarij Generalis, & in fine interrogatus manu propria subscribet.

2 *Die completo scrutinio visitauimus callas Fratrum, & inuenimus &c. Post hæc circa horam iterum conuocauimus Capitulum, & coram omnibus habito sermone à P. Pacomio altero Visitatorum, omnes hortati sumus ad regularem obseruantiam, ob cuius conseruationem in eo Monasterio has ordinationes statuimus.*

Prima quod nullus &c.

Secunda quod vnusquisq; &c. & sic de alijs. *Deinde singulis impertita absolutione generali, & benedictione, commendatisq; Benefactoribus viuis, & defunctis licentiam accepimus, & die sequenti discessimus.*

In commendatione Benefactorum, vbi supra in Ritu visitationis P. Vicarij Generalis dicitur, *& me Vicarium Generalem &c:* Patres Visitatores dicent: *& P. Vicarium Generalem Congregationis. RR. Præsules, et nos Visitatores, Procuratorem Generalem etc.*

FINIS.

INDEX RITVVM

In hoc Rituali contentorum.

FINIS.



